

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens Epistolas, ad T. Pomponium Atticum, M. Iunium Brutum,
Quinctum fratrem

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In Epistolarvm M Tvllii Ciceronis Ad T Pomponivm Atticvm Librvm IIX Pavlli
Manvtii Commentarivs

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770415](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770415)



IN EPISTOLARVM
M. TVLLII. CICERONIS
A D
T. POMPONIVM. ATTICVM
LIBRVM. IIX.
PAVLLI. MANVTII
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. 1.



VM ad te litteras dedissem, redditae mihi litterae sunt a Pompeio. cetera de rebus in Piceno gestis, quae ad se Vibullius scripsisset, de delectu Domitij; quae sunt nobis nota, nec tam laeta erant in his litteris, quam ad me Philotimus scripserat: (ipsam tibi epistolam misissem; sed subito fratris puer proficiscebatur: cras igitur mittam) sed in ea Pompeij epistola erat in extremo ipsius manu: Tu, cenfeo, Luceriam uenias: nusquam eris tutius. Id ego in eam partem accepi, haec opida, atque oram maritimam illum pro derelicto habere: nec sum miratus, eum, qui caput ipsum reliquisset, reliquis membris non parcere, ei statim rescripsi, hominemque certum misi de comitibus meis, non me quaerere, ubi tutissimo essem: si me uellet sua, aut reip. causa Luceriam uenire, statim esse uenturum: hortatusque sum, ut oram maritimam retineret, si rem frumentariam sibi ex provincijs suppeditari uellet. Haec me frustra scribere uidebam: sed uti in urbe retinenda tunc, sic nunc in Italia non relinquenda testificabar sententiam meam. sic enim parari uideo, ut Luceriam omnes copiae con-

trahantur: & ne is quidem locus stabilis: sed ex eo ipso, si urgeamur, paretur fuga. quo minus mirere, si uinitus in eam causam descendo, in qua neque pacis, neque uictoriae ratio quaesita sit umquam, semper flagitiosae, & calamitosae fugae. eundem; ut, quemcumque fors inlerit, casum subeam potius cum ijs, qui dicuntur esse boni, quam uidear a bonis dissentire. etsi propediem uideo bonorum, id est lautorum, & locupletum, urbem refertam fore, municipijs uero his relictis, refertissimam. quo ego in numero essem, si hos lictores molestissimos non haberem: nec M. Lepidi, L. Volcatij, Ser. Sulpicij comitum paeniteret: quorum nemo nec stultior est, quam L. Domitius; nec inconstantior, quam Ap. Claudius. unus Pompeius me mouet, beneficio, non auctoritate. quam enim ille habeat auctoritatem in hac causa, qui, cum omnes Caesarem metuebamus, ipse eum diligebat? postquam uero ipse metueri coepit, putat omnes hostes illi oportere esse. ibimus tamen Luceriam: nec eum fortasse delectabit noster aduentus, dissimulare enim non potero, mihi, quae adhuc acta sunt, displicere. Ego, si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtunderem. tu, si tibi eadem causa est, me remunerere sane uelim. Vale.

EXPLA.

EXPLANATIO



NEO tamen laeta, § nam ex Lucretij litteris cognoueramus, Vibullium cum paucis militibus e Piceno currere ad Pompeium. epist. 23. Sed in ea § redit ad argumentum epistolae Pompeianae. pendet enim periodus ex illo, Cetera de rebus in Piceno gestis. CAPVT ipsum § urbem. EVNDVM § Luceriam. LAVTORVM, & locupletum, § illud ad mollitiam, hoc ad opes refertur. uideo, inquit, futurum, ut neque lauti pro Pompeio incommoda subire, neque locupletes suas fortunas in discrimen uelint adducere. M V N I C I P I I S nero his relictis, § ora maritima, cui ego praesum, relictis. quod cum acciderit, omnes profus, qui exierant, desperatis Pompeij rebus in urbem redibunt. Hos *lictiores* § quia mihi cum *lictioribus* ad urbem accedenti triumphum deferet Caesar. quem non accipere, periculosum erit; accipere, inuidiosum ad bonos. ep. 3. COMITVM § hos enim uideo in urbem redituros. ep. 12. l. 7. NEC stultior est, § significat, malle se Lepidum, Volcatium, Sulpicium imitari, ad urbem redeuntes, quam Domitium, aut Appium, Pompeij comites fugientes: quorum alter stultitiae nomine male audiebat, alter inconstantiae. BENEFICIO § cum mihi exfulanti reditum in patriam confecit. REMVNERARE § non minus longis epistolis.

Cicero S. D. Attico. 2.

MIHI uero omnia grata, & quod scripsisti ad me, quae audieras; & quod non credidisti, quae digna diligentia mea non essent; & quod monuisti, quod sentiebas. Ego ad Caesarem unas Capua litteras dedi, quibus ad ea rescripsi, quae mecum ille de gladiatoribus suis egerat, breues, sed beneuolentiam significantes, non modo sine contumelia, sed etiam cum maxima laudo Pompeij. id enim illa sententia postulabat, quia illum ad concordiam hortabar. eas si quo ille misisti, in publico proponat uelim. Alteras eodem die dedi, quae ad te non potui dare, cum & ipse ad me scripsisset, & Balbus, earum exemplum ad te misi. nihil arbitror fore, quod reprehendas. si qua erunt, doce me. quo modo enim effugere possum? nihil, inquires, omnino scripseris. qui magis effugias eos, qui uolent fingere & uerumtamen ita faciam: quoad fieri poterit. Nam quod me hortaris ad memoriam factorum, dictorum, scriptorum etiam meorum: facis amice tu quidem, mihi gratissimum: sed mihi uideris aliud tu honestum, meum dignum in hac causa iudicare, atque ego existimem. mihi enim nihil illa in gente umquam ab ullo antore reip. ac duce turpius factum esse uidetur, quam a nostro amico factum est. cuius ego uicem doleo. qui urbem reliquit, id est patriam; pro qua, & in qua mori praeclarum fuit. ignorare mihi uideris, haec quanta sit clades, es enim etiam nunc domi tuae: sed, inuitis perditissimis hominibus, esse diutius non potes. hoc miserius, hoc turpius quidquam? uagamur egentes, cum coniugibus, & liberis, in unius hominis, quotannis periculose aegrotantis, anima positas omnes nostras spes habemus,

non expulsi, sed euocati e patria, quam non seruandam ad reditum nostrum, sed diripiendam, inflammandamque reliquimus. Ita multi nobiscum sunt, non in suburbanis, non in hortis, non in ipsa. & si non sunt, non erunt, nos interea, ne Capuae quidem, sed Luceriae. & oram quidem maritimam iam relinquemus. Afranium exspectabimus, & Petreium. nam in Labieno parum est dignitatis, hic tu in me * illud desideras, nihil de me dico: alij uiderint, hic quidem quae est * domi uestrae estis, & eritis omnes boni. quis tum se mihi non ostendit, quis nunc adest hoc bello? sic enim iam appellandus est. Vibullij res gestae sunt adhuc maximae. id ex Pompeij litteris cognosces, in quibus animaduertito illum locum, ubi erit dictum, uidebis, de Cnaeo nostro ipse Vibullius quid existimet. Quo igitur haec spectat oratio? ego pro Pompeio libenter emori possum, facio pluris omnium hominum neminem, sed non ita non meo iudicio spem de salute reip. significas enim aliquanto secus, quam solebas: ut etiam, Italia si ille cedat, putes cendum: quod ego nec reip. puto esse utile, nec liberis meis: praeterea neque rectum, neque honestum. sed cur? poteris ne uidere tyrannum? quasi intersit, audiam, an uideam, aut locupletior mihi sit quaerendus auctor, quam Socrates; qui, cum triginta tyranni essent, pedem porta non extulit. Est mihi praeterea praecipua causa manendi: de qua utinam aliquando tecum loquar. Ego XIII. Kal. cum eadem lucerna hanc epistolam scripsissem, qua inflammaram tuam, Formijs ad Pompeium, si de pace ageretur, profecturus eram: si de bello, uidero. Vale.

EXPLANATIO

GLADIATORIBVS suis § quos Pompeius binos singulis patribus familias distribuerat. ep. 14. l. 7. POSTVLABAT, § exigere uidebatur, ut Pompeium laudarem. ILLVM § Caesarem. EFFUGERE § qui fieri potest, ut nihil scribam, quod in aliquam reprehensionem non incurrat? QVI magis effugias? id est, nihilo magis effugiam. ALIUD tu honestum, § significas, debere me Pompeij causam tueri; idque honestum, & me dignum uideris iudicare: quod ego secus iudico. ducis. n. culpa uagamur,

Aa 2 egentes

egentes cum coniugibus, & liberis. hoc non modo non honestum, sed etiam turpissimum. **PERDITISSIMIS** & Caesarianis. **EXPVESI**, & a Caesare. **EVOCATI** & a Pompeio. **NON erunt**, & propediem, n. uideo bonorum, id est lautorum, & locupletum, urbem refertam fore, municipijs uero his relictis, refertissimam. ep. 1. **Ne Capuae quidem** & urbe relicta si Capuae saltem condesisset Pompeius; minus turpiter fecisse, minus peccasse uideretur. **PARVUM est dignitatis** & quia & dux sine exercitu, & transfuga: illi autem magnorum duces exercituum, & Hispaniae rectores, Pompeij proconsulis legati. **IN me * illud** & uerbum Graecum, & hic, & paullo post, ubi inane spatium est, desideratur: hic quidem fortasse; *καθ' αὐτόν*: quia supra dixerat, Me hortaris ad memoriam factorum, dictorum, scriptorum etiam meorum. **TVM se mibi** ante quam urbem relinqueremus, omnes causas reip. enixe adiutori uidebantur. **RES gestae** & in Picensino. **POMPEII litteris** & ad Pompeium missis: ut ep. 23. l. 7. Cassij litterae, ad Cassium missae. **VBI erit** *δὲ τῶν* & quem ego nota, quae *δὲ τῶν* appellatur, in margine adscripta indicauit. *δὲ τῶν* autem duplici figura notabatur, aut hac > in extremo uersu, aut hac < ante primam dictionem collocata. *δὲ τῶν*, quia duplici linea formaretur. Isidorus lib. 1. Etymologiarum, & Laetius in Platone. **SED non ita** mendosus locus, & in mendo consentit uterque Canalcantis, & Bessarionis antiquus liber. nihil igitur ausim immutare: subsidium a scriptis libris expectemus. ego, nisi paullo longius, quam soleo, a uetere scriptura discederem, opinarer, & recte quidem, quod ad sententiam attinet, legendum sic: **SED positam non in eo iudico spem de salute reip. uel sic: SED non sitam in eo iudico spem de salute reip.** **ALIQUANTO secus**, & nunc ais te putare, si Pompeius Italia cedat, mihi una cedendum; antea monebas, ne me darem incertae, & periculosaee fugae. ep. 23. l. 7. **LOCUPLETIOR** & grauior, sicuti Locuples testis, non leuis, sed is, cui fides habenda sit, quod eum ad mendacium impellere non potuerit inopia. **TRIGINTA** & nendum unus. **ESSENT** & Athenis, a Lacedaemonijs impositi. **PEDEM porta** & ut mihi liceat, eius exemplo, domi meae uiuere. Cur ego, inquit, unum tyrannum mihi ferendum non putem, cum Socrates, quo sapientior nemo fuit, urbe a triginta tyrannis oppressa, numquam tamen discedere uoluerit? **TECVM loquar** & non enim litteris committenda. **VIDERO** & considerabo, quid mihi agendum, Pompeium sequar, an in urbem redeam, aut in aliquod opidum uacuum a bello secedam.

Cicero S. D. Attico. 3.

MAXIMIS, & miserrimis rebus perturbatus, cum coram tecum mihi potestas deliberandi non esset, uti tamen tuo consilio uolui. deliberatio autem omnis haec est: si Pompeius Italia cedat, quod eum facturum esse suspicor, quid mihi agendum putes. & quo facilius consilium dare possis, quid in utramque partem mihi in mentem ueniat, explicabo breui. Cum merita Pompeij summa erga salutem meam, familiaritasq., quae mihi cum eo est, tum ipsa reip. causa me adducit, ut mihi uel consilium meum cum illius consilio, uel fortuna coniungenda esse uideatur. Accedit illud: si maneo, & illum comitatum optimorum, & clarissimorum civium deseror: cadendum est in unius potestatem, qui etsi multis rebus significat se nobis esse amicum, & ut esset, a me est (tute scis) propter suspicionem huius impendentis tempestatis multo ante prorsum: tamen utriusque considerandum est, & quanta ei fides sit habenda; & si maxime exploratum sit, eum nobis amicum fore, sit ne uiri fortis, & boni ciuis, esse in ea urbe, in qua cum summis honoribus, imperijsq. usus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo praeditus, non futurus sit sui iuris, subeundumq. periculum sit cum aliquo sorte dedecore, si quando Pompeius remp. recuperarit. In hac parte haec sunt: nide nunc, quae sint in altera. Nihil actum est a Pompeio nostro sapienter, nihil fortiter; adde etiam, nihil nisi contra consilium, auctoritatemq. meam. Omitto illa uetera, quod istum in remp. ille aluit, auxit, armauit; ille legibus per uim, & contra auspicia ferendis auctor, ille Galliae ulterioris adiunctor; ille gener; ille in adoptando P. Clodio augur; ille restituendi mei, quam retinendi, studiosior; ille provinciae propagator; ille absentis in omnibus adiutor: idem etiam tercio consulatu, postquam esse defensor

reip. coepit, concedit, ut decem tribuni pl. ferrent, ut absentis ratio haberetur: quod idem ipse sanxit lege quadam suas Marcoq. Marcello consuli, finienti provincias Gallias Kalend. Mart. restitit: sed, ut haec omittam, quid foedius, quid perturbatius hoc ab urbe diucessu, siue potius turpissima fuga? quae condicio non accipienda fuit potius, quam relinquenda patria? malae condiciones erant, fateor: sed numquid hoc peius? ut recuperabit remp. quando? aut quid ad eam spem est parati? non ager Picensis amissus? non patefactum uer ad urbem? non pecunia omnis, & publica, & priuata aduersario tradita? denique nulla causa, nulla uires, nulla sedes, quo concurrant, qui remp. defensam uelint. Apulia delecta est, inanisima pars Italiae, & ab impetu huius belli remotissima. fuga, & maritima opportunitas nisa quaeri desperatioe. inuute cepi Capuam; non quo minus illud defugerem, sed sine causa, in qua nullus esset ordinum, nullus apertus priuatorum dolor, bonorum autem esset aliquis, sed hebes, ut solet, & ut ipse sensissem, multitudo, & infimus quisque pro pensus in alteram partem; multi mutationis rerum cupidi. dixi ipsi, me nihil suscepturum sine praesidio, & sine pecunia: itaque habui nihil omnino negotij: quod ab initio uidi, nihil quaeri praeter fugam. Eum si nunc sequor, quoniam? cum illo non. ad quem cum essem profectus, cognoui in his locis esse Caesarem, ut tuto Lucretiam uenire non possem. infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima nauigandum est. Age iam, cum fratre, an sine? cum filio, an quo modo? in utraque enim re summa difficultas erit, summus & nimis dolor. Qui autem impetus illius erit in nos abfentes, & fortunae nostrae? acrior, quam in ceterorum; quod putabit fortasse in nobis uiolandi aliquid se habere

habere populare. Age iam hac compedes, fasces in-
pnam hos laureatos efferre ex Italia, quam molestum
est? Qui autem locus erit nobis tutus, (ut iam placatis
utamur fluctibus) antequam ad illum uenerimus? qua
autem, aut quo, nihil scimus. At si restituro, & fuerit
nobis in hac parte locus; idem fecero, quod in Cinnæ do-
minatione Philippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mucius;
quoquo modo ea res huic quidem cecidit; qui tamen ita
dicere solebat, se id fore uidere, quod factum est; sed
hoc malle, quam armatum ad patriæ moenia accedere.
aliter Thrasylbulus, & fortasse melius. sed est certa
quaedam illa Mucij ratio, atque sententia; est illa etiam
Philippi; & cum sit necesse, seruire tempori; & non
amittere tempus, cum sit datum. sed in hoc ipso habent
tamen idem fasces molestiam, sit enim nobis amicus,
quod incertum est; sed sit; deseret triumphum, non acci-
pere ne periculosum sit, an accipere inuidiosum ad bo-
nos? o rem, inquis, difficilem, & inexplicabilem. at qui
explicanda est, qui enim fieri potest? ac ne me existima-
ris ad manendum esse propensorem, quod plura in ea
parte uerba fecerim, potest fieri, quod sit in multis quac-
sionibus, ut res uerbosior haec fuerit, illa uerior, quam

obrem, ut maxima de re aequo animo deliberanti, ita
mibi des consilium uelim. natis & in Caieta est parata
nobis, & Brundisij, sed ecce nunciij, scribente me haec
ipsa noctu in Caleno, ecce litterae, Caesarem ad Corfi-
nium, Domitium Corfinij cum firmo exercitu, & pu-
gnare cupiente. non puto etiam hoc Cnaeum nostrum
commissurum, ut Domitium relinquat. etsi Brundisium
Scipionem cum cohortibus duabus praemisserat; legio-
nem a Fausto conscriptam, in Siciliam sibi placere a con-
sule duci, scripserat ad consules. sed turpe Domitium
erit deserere, implorantem eius auxilium. est quaedam
spes mihi quidem non magna, sed in his locis firma,
Afranium in Pyrenaeo cum Trebonio pugnassee, pul-
sum Trebonium, etiam Fabium tuum transisse cum co-
hortibus: summum autem, Afranium cum magnis co-
pijs aduentare. id si est, in Italia fortasse manebitur. ego
autem, cum esset incertum iter Caesaris, quod uel ad Ca-
pnam, uel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad
Pompeium misi, & litteras; ipse, ne quo inciderem, re-
uertit Formias. Haec te scire nolui, scripsiq; sedatiore
animo, quam proxime scripseram, nullum meum iudi-
cium interponens, sed exquirens tuum. Vale.

EXPLANATIO

SALVTEM meam, & cum ab exfulio sum eius ope restitutus. **CONSILIO**, uel fortuna & refero **Consi-**
lium ad familiarem bene meritum, & **Fortunam** ad ducem reip. **SACERDOTIO** & auguratu. **PERICU-**
LVM & quod a Caesare impendet. **PER uim**, & contra auspicia & cum Caesar, lege agraria promulgata,
obnunciantem collegam armis foro expulit, Suetonius, Plutarchus, alij. **GALLIAE** *ulterioris* & Suetonij
uerba sunt: Initio Caesar Galliam Cisalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accipit; mox per fenatū Co-
matam quoque, ueritis patribus, ne, si ipsi negassent, populū & hanc daret. **ADOPTANDO** & adoptione
Clodius factus est plebeius, statimq; tribunus pl. rogationem tulit in Ciceronem, quia ciues Romanos
contra leges occidisset. **AVGV** & itaque fuit in auspicio, ep. 6. l. 2. **QVAM** *retinendi* & hinc illud in ep.
M. Antonij: M. Cicero, te rogo, ut ibi omnia integra serues, eius fidem improbes, qui tibi, ut beneficium
daret, prius iniuriam fecit, ep. 7. l. 10. **PROVINCIAE** *propagator* & ut Caesari provincia in alterum quin-
quennium propagaretur, quod tribunus pl. C. Trebonius tulit, iterum Pompeio & Crasso cos. ep. 3. l. 7.
IN *omnibus* & intellige supplicationes maximas decretas, decem legatos, stipendium ex aerario, legionem
de ipsius exercitu concessam. **LEGE** *quadam sua* & cum enim Pompeius tertium consul legem tulisset de
iure magistratum, acciderat, ut eo capite, quo absentes a petitione honorum summoebat, ne Caesa-
rem quidem exciperet per obliuionem, deinde, lege iam in aes incisa, & in aerarium condita, correxit
errorem, unumq; Caesarem excepit, Suetonius. **FINIENTI** & ante tempus lege Trebonia datum. Sueto-
nius. **RESTITIT**, & non quod aperte dixerit, Caesari succedendum non esse; sed quia, ne senatus consul-
tum de provincijs ullum fieret, suasisit, quod scripsit Coelius ep. 9. l. 8. fam. **SEQUENTIBUS** tamen diebus,
mutato consilio, contra Caesarem sensit, ibidem ep. 8. **CONDICIONES** & a Caesare latae, ep. 16. l. 7. **NVL-**
LA *caussa*, & optimam enim causam Pompeius ipse sua tarditate, & ignauia perdidit. **INANISSIMA** &
cum ab hominum frequentia, tum a commeatibus. **AD impetu** & non enim eiusmodi regio, ut bellum
aut in ea sustinere, aut ex ea inferre possimus. **MARITIMA** *opportunitas* & ut classe fugere possemus. **CE-**
RI *Capuam* & cum Italiae partes describerentur, quam quisque partem tueretur, fam. ep. 10. lib. 16. **SINE**
caussa & ideo inuite, quia sine causa. **IN alteram partem**; in Caesaris partem, Ipsius Pompeio. **QVOD** *ab*
initio uidi & refertur, non ad hoc proximum, Ita que habui, sed ad illud, Dixi ipsi; hac sententia: Cum ui-
derem, nihil quaeri praeter fugam; dixi ipsi, me nihil suscepturum sine praelidio, & sine pecunia. **CVM**
illo non & simul cum illo discedere [ex Italia non possum, ire enim Luceriam ad eum tuto mihi non licet.
CVM *essem profectus* & sic Bessarionis liber, & recte, neque enim Proficisci est peruenire, sed discedere
ut peruenias, alij, Profecturus. **NAVIGANDVM** & si Pompeium Italia cedentem sequi uolumus. **ALI-**
QV *id se habere populare* & quod populo placeat; quia multis ab eo beneficijs ornatus, contra tamen
arma tulerim, ep. 18. lib. 4. & 3. libri 8. **COMPEDES**, & detinent enim me; ut neque exire ex Italia, neque
ad urbem ire, neque obscuro, humilij loco latere possim, ep. 1. & fam. ep. 16. lib. 1. **QVI** *autem* & quin-
da & ultima ratio, cur Pompeium sequi non debeat, prima fuit illa, In fero mari; secunda, Age iam: ter-
tia, Qui autem imperus; quarta, Age iam has compedes; quinta, Qui autem locus. **AT SI** & assert
nunciationes, cur Pompeium sequi debeat. **RESTITERO**, & remansero. **IN** *hac parte* & apud Cae-
sarem. **IDEM** *fecero* & clarissimos uiros, & in rep. principes, Philippum, Flaccum, Scaeuolam imita-
tor, qui patriae bellum inferre noluerunt. **QVQVOMODO** & quia, cum in urbe remansisset, mox in-
terfectus

terfectus est iussu consulis C. Marij iunioris. Florus. *FORNIDERE* ? ut occideretur in urbe, quam uideret in potestate crudelissimorum. *THRASYBVLVS*, ? Athenientis: qui armatus accessit ad patriae moenia, ut eam a triginta tyrannis liberaret. *SERVITRE temporis*, ? seruitutem ferre, & in patria manere. *NON amittere tempus* ? excutere seruitutis iugum, ubi possit. *SCIPIONEM* ? focerum suum. *DYABVS* ? infra scribit Pompeius XIV. cohortes misisse Brundisium. ep. 12. *PRAEMISERAT* ? quod argumento est, Pompeium de ope Domitio ferenda non cogitare, sed habere in animo cum suis copijs mare transire. *FAVSTO* ? duos gemellos Sulla dictator ex Metella suscepit, Faustum, quo de hic agitur, quem postea uictor Caesar sustulit, & Faustam, quae Miloni nupsit Plutarchus. *A CONSULE* ? antiqui libri, Consulibus: sed placet, Consule, ex ipsa Pompeij epistola. ep. 12. *FABIUM tuum transisse* ? in castra Afranij. *EXQVIRENS* ? ut scribas ad me, si Pompeius Italia cedit, quid mihi censeas agendum.

Cicero S. D. Attico. 4.

DIONYSIVS quidem tuus potius, quam noster, cuius ego cum satis cognossem mores, tuo tamen potius stabam iudicio, quam meo, ne tuam quidem testimonium, quod ei saepe apud me dederas, ueritas, superbum se praebuit in fortuna, quam putauit nostram fore: cuius fortunae nos, quantum humano consilio effici poterit, motum ratione quadam gubernabimus. cui qui noster honos, quod obsequium, quae etiam ad ceteros contempti cuiusdam hominis commendatio defuit? ut meum iudicium reprehēdi a Quintio fratre, uulgoq. ab omnibus mallem, quam illum non efferre laudibus; Ciceronesq. nostros meo potius labore subdoceri, quam me alium ijs magistrum quaerere, ad quem ego quas litteras, dijs immortales, miseram, quantum honoris significantes, quantum amoris. Dicacarchum mehercule, aut Aristoxenum dices arcessi, non unum omnium loquacissimum, & minime aptum ad docendum. sed est memoria bona. me dicit esse meliorem. Quibus litteris ita respondit, ut ego nemini, cuius causam non reciperem. semper enim, si potero, si ante suscepta causa non impediat, numquam reo cuiquam, tam humili, tam sortido, tam nocenti, tam alieno, tam praecise negam, quā hic mihi, plane sine ulla exceptione praecidit, nihil cognoui ingratius: in quo uitio nihil mali non inest. Sed de hoc nimis multa. Ego nauem parauit: tuas litteras tamen exspecto; ut sciam, quid respondeant consultationi meae. Sulmone C. Atium Pelignum aperuisse Antonio portas, cum essent cohortes quinque; Q. Lucretium inde effugisse scis, Cnaeum uere Brundisium de sortium, consecra res est. Vale.

EXPLANATIO

QUAM putauit ? non dixit Cicero, in fortuna nostra, ut malum omen uitaret, sed, in fortuna, quam Dionysius putauit nostram fore, dura scilicet, ac minime prospera. *MEMORIA bona*, ? in litteris. *MELIORE* ? memorem enim huius iniuriae sentiet. *EFFUGISSE scis*, ? scire te oportet: ut illud in epistola Coelij: fam. ep. 14. lib. 8. Prope oblitus sum, quod fuerat scribendum scis Appij cenforem ostenta facere? *DESERTVM* ? amissa Italia. *CONFECTA res est* ? de Italia actum est.

Cicero S. D. Attico. 5.

CVM ante lucem VIII. kal. ad te litteras dedissem, uespero ad nos eodem die uenit ipse Dionysius, auctoritate tua permotus, ut suspicor, quid enim putem aliquid? etsi solet, cum aliquid furiose fecit, paenitere, numquam autem certior fui, quam in hoc negotio, nam quod ad te non scripseram, postea audiui, a tertio milliaro tum cum ille πολλὰ μάλιστα ΚΑΕ PECCINECHE παθούμιν δὴτα. multa, inquam, mala cum dixisset, suo capiti, ut auit, sed meam mansuetudinem, conieceram in fasciculum una cum tua uenientem ad illum epistolam: hanc ad me referri uolo; nec ullam ob aliam causam Pollicem, seruum a pedibus meum, Romanam misi, eo autem ad te scripsi, ut, si tibi forte reddita esset, mihi curares referendam; ne in illius manus perueniret. Noui si quid esset, scripseram, pendeo animi exspectatione Corfiniensis, in qua de salute reip. decernitur. Tu fasciculum, qui est M. Curio inscriptus, uelim curares ad eum perferendum; Tironemq. Curio commendes; ut ei, ut petijt, si quid opus erit, in sumptum erogat. Vale.

EXPLANATIO

FURIOSE ? sine ratione. *CERTIOR fuit* ? se furiose fecisse. *EVMI* ille παλαμίδης &c. ? hoc totum iisdem fere litteris uidetur posse restitui, sic inquam: Euenisse: πολλὰ μάλιστα καὶ ἄλλα ἐπὶ τὴν δὴτα. ut sit spondaicus ex uetere poeta. *EVENISSE* ? ut mihi male diceret, cum aere manibus temere feriret, iratorum more. *SED meam mansuetudinem* ? seruabo: non pergami merenti male dicere, iam enim cooperat in Dionysium maledicta retorquere, cum dixit, Suo capiti. seruat autem suam mansuetudinem, quia non pergit male dicere; sed iram ostendit, quia non perficit orationem.

CORFI.

CORFINIENSI, § uide epist. 3. lib. 8. **M. CVRIO** § opinor praenomen Curij fuisse Manius, non Marcus. de quo plura in scholijs nostris in epist. fam. lib. 16. epist. 14. **Ad eum** § Patras: ubi apud Curium Cicero aegrum Tironem reliquerat. epist. 22. lib. 9. & 4. lib. 10. fam. lib. 16. & 13. **Vt petij**, § arbitror legendum, Petij. nam in antiquo libro est, Peti. idq. confirmant & sequens epistola, & ea, quae scripta sunt ad Tironem.

Cicero S. D. Attico 6.

OBSIGNATA iam epistola, quam de nocte daturus eram. sicut dedi, (nam eam uespere scripseram) **C. Sotius** praetor in Formianum uenit ad **M. Lepidum**, uicinum nostrum, cuius quaestor fuit; Pompeij litterarum ad consulum exemplum attulit. Litterae mihi a **L. Domitio** ad VII. kal. Mart. allatae sunt. earum exemplum infra scripsi. nunc, ut ego non scribam, tua sponte te intelligere scio. quanti reip. interst, omnes copias in unum locum primo quoque tempore conuenire, si tibi uidebitur, dabis operam, quamprimum ad nos uenias. praesidij Capuae, quantum constitueris esse satis, relinquant. *Vale.* Deinde supposuit exemplum epistolae **Domitij**, quod ego ad te pridie miseram. *Dij* immortales, qui me horror perfudit. quam sum so-

licitus, quidnam futurum sit, hoc tamen spero, magnum nomen imperatoris fore, magnum in aduentu terrorem. spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil mutasse, nec te gentia hoc, quod cum fortiter, & diligenter, tum etiam mehercule: modo enim audiui, quartanam a te discessisse. moriar, si magis gauderem, si id mihi accidisset. **Piliae** dic, non esse aequum, eam diutius habere, nec id esse uestrae concordiae. **Tironem** nostrum ab altera relictum audio. sed eam uideo in sumptum ab alijs mutatum. ego autem **Curium** nostrum, si quid opus esset, rogaram. malo **Tironis** uerecundiam in culpa esse, quam illiberatatem **Curij**. *Vale.*

EXPLANATIO

AD CONSULEM § **L. Lentulum**, ep. XI. IX. Kal. § aut hic XII. aut infra IX. legendum. epist. 11. **Nunc, ut ego, &c.** § placet eorum coniectura, qui ita legunt: Nunc, ut ego non scribam: quamquam ueteres libri omnes non, Scribam, sed, Sciebam, habent, quod iidem legunt, Tua sponte te intelligere non probo: nam & antiqui libri, Sua sponte, habent: & ita, Sua sponte, pro tua sponte, dictum puto, ut epist. 7. lib. 10. In suo lectulo, pro in meo, dixit Cicero. **INTERST**, omnes § fortasse, Interst, abundat: nam in **Bellarionis** libro non est, sed sic, In omnis. **PRIMO quoque tempore** § ut possimus, quamprimum **Domitio** subuenire. **IN aduentu** § fore, ut **Pompeias** **Corfinium** adueniens magnum inimicis terrorem inferat. **MUTASSE** § **Bellarionis** liber, Mutasset, locus deprauatus. **NON esse aequum**, § iocus est: quasi fuerit hoc in **Piliae** manu, ut quartanam ipsa posset abicere. **HABERE** § quartanam: in quam inciderat. ep. 5. 1. 7. **VESTRAE concordiae** § ut, cum tu ualeas, ipsa aegrotet. **ALTERA** § quartana. **MALO** § libentius credo: uolo enim **Curium** illiberalem putare.

Cicero S. D. Attico. 7.

VNUM etiam restat amico nostro ad omne deditus, ut **Domitio** non subueniat. at nemo dubitat, quin subsidio uenturus sit: ego non puto, deseret igitur talem ciuem, & eos, quos una scis esse? cum habeat praesertim & ipse cohortes xxx? nisi me omnia fallent, deseret. incredibiliter pertimuit nihil spectat, nisi fugam: cui tu (uideo enim, quid sentias) me comitem putas debere esse. ego uero, quem fugiam, habeo; quem sequar, non habeo. quod enim tu meum landas, & memorandum dicis, male quod dixerim me cum **Pompeio** uinci, quam cum istis uincere: ego uero malo, sed

cum illo **Pompeio**, qui tum erat, aut qui mihi esse uidebatur: cum hoc **nero**, qui ante fugit, quam scit, aut quem fugiat, aut quo, qui nostra tradidit, qui patriam reliquit, Italiam relinquit, si malui, contigit; uictus sum: quod superest, nec ista uidere possum, quae, nunquam timui, ne uiderem; nec mehercule istum, propter quem mihi non modo meis, sed memet ipso carendum est. **Ad Philotimum** scripsi de uaticio, siue a **Moneta**, (nemo enim soluit) siue ab **Oppijs**, tuis contubernis. cetera apposita tibi mandabo. *Vale.*

EXPLANATIO

AMICO nostro § **Pompeio**, **VICTVS** sum: § uictus enim **Pompeius** Italia cedit, uide igitur, quae in solitudine uerser, cum neque **Pompeium**, tam multa peccantem, sequi debeam; & manere in Italia, peracerbum sit, propterea quod neque ista, (epist. 15) quae a **Caesare** fiunt, uidere possum, neque ipsum **Caesarem**. **QUAE nunquam** &c. § nunquam putavi futura. non enim haec tam misera, tam calamitosa

calamitosa timui, quae uix uiderentur euenire posse: quae tamen nunc uideo euenisse. **MEIS** & urbe, propinquis, amicis. **MEMET ipso** & non modo meis carco, sed nec ipse colere possum eas artes, camq, uitam, cui me diuturna consuetudo affuefecerat. **VIATICO**, & quod erat ex Italia exeunti necessarium. **MONETA** & locus erat, ubi moneta eudebatur. inde uult a Philotimo pecuniam sumi, tradito, quod etiam nunc solet, auro, argento ue infecto. **NEMO** & exijs, qui debent. **OPPIIS** & feneratoribus. **TUIS contubernalibus** & qui domi tuae ita frequentes sunt, ut contubernales tui uideri possint. epist. 14. lib. 2. **APPOSITA** & de uiatico scripti ad Philotimum: tibi cetera mandabo ad hoc meum discedendi consilium apposita.

Cicero S. D. Attico. 8.

OREM turpem, & ea re miseram, sic enim sentio, id demum, aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit. aluerat Caesarem: eundem reuertere timere coeperat: condicionem pacis nullam probarat: nihil ad bellum pararat: urbem reliquerat: Picenum amiserat culpa: in Apuliam se compegerat: ibat in Craecia: omnes nos a prosequentiis, expertes sui tanti, tam inusitati consilij, relinquebat. ecce subito litterae Domitij ad illum, ipsius ad consules. fulsisse mihi uidebatur τὸ καλὸν ad oculos eius, & exclamasse il-

le uir, qui esse debuit, *Προς ταύτ' ὅτι χεῖν, καὶ παλαμάσθων, καὶ πάντ' ἐπ' ἐμοὶ τεκταμένοσων. Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ.* at ille tibi, πολλὰ χαίρειν τὸ καλὸν dicens, pergit Brundisium. Domitium autem auuit, re audita, & eos, qui una essent, se tradidisse. o rem lugubrem: itaque intercludor dolore, quo ad te plura scribam. tuas litteras exspecto. Vale.

EXPLANATIO

AD CONSULES. & legerem. Ad consulem; primum, quia, Domitij litteris acceptis, scripsisse Pompeium ad Lentulum consulem, supra manifestum est, ep. xi. deinde, quia, Consulem, potius, quia, Consules, Bellarionis liber significat. haber enim sic, Consul: & lineam illam, quae litteram intersecat, scimus, cum pro aplice superinducitur; modo e, modo in ualere: ut hic fortasse pro utraque a festiuante librario posita sit. **FULSISSE** & quia uidebatur Pompeius in iis ad consulem litteris de ope Domitio ferenda cogitare. epist. xi. & Fulsisse, quasi non uidisset antea τὸ καλὸν Pompeius. Sic de Caesare. **O** hominem amentem, & miserum, qui ne umbram quidem umquam τὸ καλὸν uiderit; epist. xi. lib. 7. *Πρὸς ταύτ' ὅτι χεῖν* & locus Aristophanis e comedia, quae inscribitur *Αχαρνῆς*, hic est,

,, πρὸς ταύτ' ὅτι χεῖν καὶ παλαμάσθων,
,, καὶ πάντ' ἐπ' ἐμοὶ τεκταμένοσων.
,, τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ.

Aut igitur hic Aristophanis uerba ipsa ponenda sunt: ut nomine Cleonis Caesar ἐν ἀγνοῦμῳ intelligatur: aut, si illud, ὅτι χεῖν, ut est in impressis libris, retinetur; illud quoque retinendum est, quod in olim impressis libris habebatur, ποιῶ. ut sit, ποιῶ, ὅτι χεῖν. erit autem haec sententia. eaq. mihi ut uideatur satis apta. Ego quidem, quod fieri oportet, efficiam; deinde,

,, -καὶ παλαμάσθων,
,, καὶ πάντ' ἐπ' ἐμοὶ τεκταμένοσων.
,, τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ.

Qui dilibet in me struant, & moliantur Caesariani: iustum enim a me stat. ut leuiter immutatos Aristophanis uersus Cicero ad id, quod agebat, accommodauerit. At ille tibi, & hunc loquendi modum Latine scribentes. apte usurpabunt subitis in rebus, & praeter expectationem contingentibus. magistro Cicerone fiet. ep. 18. lib. 9. & 17. lib. 10. & famil. lib. 9. epist. 1. *πολλὰ χαίρειν τὸ καλὸν dicens* & abiecta honesti cura: ut illud in epistola, opinor, ad Voluminium: Multam salutem & foro dicam, & curiae. Quo ad te plura scribam, & quo possim ad te plura scribere. negantem enim particulam neque Caualcantis liber habet, neque Bellarionis.

Cicero S. D. Attico. 9.

EPISTOLAM meam quod per uulgatam scribis esse, non fero moleste: quin etiam ipse multis dedi describendam. ea enim & acciderunt iam, & impendent, ut testatum esse uelim, de pace quid censuerim. cum autem ad eam hortarer, eum praesertim hominem, non uidebar ullo modo facillius moturus, quam si id, ad quod eum hortarer, conuenire eius sapientiae dicerem.

eam si admirabilem dixi, cum eum ad salutem patriae hortabar; non sum ueritus, ne uiderer assentari; cui tali in re libenter me ad pedes abiec. ssem. Qua autem est, Aliquid impertias temporis; non est de pace, sed, de me ipso, & de meo officio ut aliquid cogitet. Nam quod testificor, me expertem belli fuisse; etsi id re perspicuum est, tamen eo scripsi, quo in suadendo plus auctoritatis habere.

haberem. Eodemq. pertinet, quod causam eius probo. Sed, quid haec nunc utinam aliquid profectum esset: nae ego istas litteras in concione recitari uelim. siquidem ille ipse ad eundem in publico proposuit epistolam illam, in qua est, Pro tuis rebus gestis amplissimis. amplioribus ne, quam suis, quam Africanus? ita tempus ferebat. siquidem etiam uos duo tales ad quintum milliariū. quid, nunc ipsum, unde se recipienti, quid agenti, quid acturo? quanto autem ferocius ille causae suae confidit, cum uos, cum uesfri similes non modo frequentes, sed laeto uultu gratulantes uiderit? Num igitur peccamus? minime uos quidem: sed tamen signa conturbantur, quibus uoluntas a simulatione distingui posset. Quae uero S. C. uideo? sed apertius, quam proposueram. Ego Arpini uolo esse prid. kal. deinde circum uillulas nostras errare, quas uisurum me postea desperaui. Ed. vii tua consilia, & tamen pro tempore despecta. mihi ualde probantur. Lepido quidem (nam fere eandem uisurum quod gratissimum illi est) nunquam placuit ex Italia exire, Tullo multo minus. crebro enim illius litterae ab alijs ad nos commeant. sed me illorum sententiae minus mouebat. minus multa dederunt illi reip. pignora. tua mehercule auctoritas uehementer mouet. affert enim & reliqui temporis recuperandi rationem, & praesentis tuendi. sed,

obsecro te, quid hoc miserius, quam alterum plausus in foedissima causa quaerere, alterum offensiones in optima? alterum existimari conseruatore in inimicorum, alterum desertorem amicorum? & mehercule, quamuis amemus Cnaeum nostrum, ut & facimus, & debemus: tamen hoc, quod talibus uiris non subuenit, laudare non possum. nam sine timore, quid ignauius? sine, ut quidam putant, meliorem suam causam illorum caede fore putauit, quid iniustius? Sed haec omittamus: augemus enim dolorem retrahendo. vi. kal. uesperi Balbus minor ad me uenit, occulta uia currens ad Lentulum cos. missus Caesaris, cum litteris, cum mandatis, cum promissione prouinciae, Romam ut redeat, cui persuaderi posse non arbitror, nisi erit conuentus. idem aiebat, nihil malle Caesarem, quam ut Pompeium assequeretur; id credo: ut rediret in gratiam, id non credo: & metuo, ne omnis haec clementia ad unam illam crudelitatem colligatur. Balbus quidem maior ad me scribit, nihil malle Caesarem, quam principe Pompeio sine metu uiuere. tu puto haec credis. sed, cum haec scribebam V. kal. Pompeius iam Brundisium poterat uenisse: expeditus enim antecesserat legiones Luceria. sed hoc tunc horribili uigilantia, celeritate, diligentia est, plane, quid futurum sit, nescio. Vale.

EXPLANATIO

EPISOLAM meam & ad Caesarem. ep. 2. lib. 8. & 14. lib. 9. **PROBO** & cum ad Caesarem scripsi, causam eius a me probari: ideo scripsi, quo plus in suadendo auctoritatis haberem. **ILLE ipse** & Pompeius. ep. 24. lib. 7. **ITA tempus ferebat** & temporis causa ita scripsi ad Caesarem. **VOS duo** & tu, & Sex. Peducaeus: qui Caesari Romam uenienti obuiam prodire ad quintum milliariū cogitatis. **NUNC ipsum** & hoc ipso tempore. Nunc ipsum enim plus ualet ad indicandum, quam Nunc, ut & supra docuimus. **RECIPIENTI** & Caesari se ad urbem recipienti obuiam prodibitis ad quintum milliariū. unde autem se recipienti? a uictoria de ciuibus parata, pulsata Italia reip. partibus. **MINIME uos quidem**: & quia tempus ita fert: & uos non ex animo, sed simulate gratulatos probe scio: ueruntamen, si obuiam proditis ad quintum milliariū, & a bello civili redeuntem gratulatione excipitis, quis distinguet simulationem a uoluntate? uoluntas, inquam, haec uidebitur, non simulatio. uoluntatis enim haec signa sunt, non simulationis. **CONTURBANTUR** & quae signa uoluntatem a simulatione distinguerent, ea ita conturbantur hoc officio gratulationis, ut internoscendi facultas non detur. **QUAE uero** & uideo fore, ut S. C. fiat, cuiusmodi Caesar uoluerit. **TULLO** & in libro Bessarionis, Villo: nos, Tullo, non dubitauimus quin legendum esset, cum hic Cicero significet L. Volcatium Tullum, qui consul fuit cum M. Aemilio Lepido: de quo etiam epistola huius libri prima, Nec me, inquit, M. Lepidi, L. Volcatij comitum paeniteret. & ep. 14. lib. 9. **ILLIUS** & Tulli. **Ab alijs** & ad alios missae. **MINUS mouebat** & exilium ex Italia, quamuis illi non exirent. habet enim a me respublicae innumerabiles actiones pro salute patriae quasi quaedam pignora, ut iam a me ipso uix uidear posse dissentire, quod illis aequae non accidit. minus enim multa dederunt reip. pignora: (ep. 15) ut ab illis non eadem, quae a nobis, expectentur, ideoque, si manent in Italia Pompeio discedente, leuior eos uituperatio sit consecutura, quam me, si idem consilij capiam, nunc autem auctoritas tua facit, ut manendum putem. **RELIQUI temporis** & scribis enim sic: posterius me profuturum reip. si mansero. **PRAESENTIS tuendi** & uis enim me in Italia manere, quod tuta mansio sit, discessus mihi periculosus, nec reip. utilis. ep. 14. lib. 9. **ALTERVM** & Caesarem. **PLAUSVS quaerere** & consequi, ut laudetur, cum temp. oppugnet Pompeium autem, qui defensionem suscepit, uituperari: cui quia Caesar Domicium, aliosq. ciues, sibi inimicos, Corfinij captos conseruauit, Pompeius deseruit. **NISI erit conuentus** & habet amicissimus meus in antiquo suo libro, Nisi non erit conuentus, quod cum aliquandiu cogitans examinasset, ut in librorum disensione soleo, ueni in hanc opinionem, detrusum suo loco, Non, in alienum migrasse, uitiosumq. esse, posse non arbitror, nisi erit conuentus; sincerum, nisi non erit conuentus, putabat enim Cicero, ante Lentulum esse cum Pompeio transmisorum, quam a Balbo conueniri posset. apertius ep. xi. l. 8. & 6. l. 9. & Patere lib. 2. **OMNIS haec** & qua Caesar uitur. **VNAM illam** & in extremo timendam: ut deinde uictor, abiecta clementiae simulatione, omnes tollat. **BALBUS maior** & is, quem Tarteffium uocat ep. 3. l. 7. **HAEC credis** & ei perire. **Hoc tempus** & Caesar.

Cicero S. D. Attico. 10.

DIONYSIVS cum ad me praeter opinionem meam uenisset, locutus sum cum eo liberalissime: tempora exposui, rogavi, ut diceret, quid haberet in animo: me nihil ab ipso inuito contendere. respondit: se, quod in nummis haberet, nescire quo loci esset: alios non solue-

re, aliorum diem non dum esse. dixit etiam alia quaedam de seruulis suis, quare nobiscum esse non posset, morem gessi: dimisi a me, ut magistrum Ciceronum, non liber: ut hominem ingratum, non inuitus. Volui te scire, quid ego de eius facto iudicarem. Vale.

EXPLANATIO

IN NUMMIS haberet, & in nominibus haberet, est in amicissimi antiquo libro: quod magis placet, est enim hic, ut saepe, Nomen pro debitore. NESCIRE quo loci esset & elegans locutio, pro, non plane sibi nota esse: ea se uelle recognoscere.

Cicero S. D. Attico. 11.

QUOD me magno animi motu perturbatum putas: sum equidem, sed non tam magno, quam tibi fortasse uideor. leuatur enim omnis cura, cum aut consistit consilium, aut cogitando nihil explicatur. lamentari autem licet: illud tamen totos dies: sed uereor, ne, nihil cum proficiam, etiam dedecori sim studiis, ac litteris nostris. consumo igitur omne tempus, considerans, quanta uis sit illius uiri, quem nostris libris satis diligenter, ut tibi quidem uidetur, expressimus. teneas ne igitur, moderatorem illum reip. quo referre uelimus omnia: nam sic quinto, ut opinor, in libro loquitur Scipio. Vt enim gubernatori cursus secundus, me dico salus, imperatori uictoria, sic huic moderatori reip. beata ciuium uita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, uirtute honesta sit. huius enim operis, maximi inter homines, atque optimi, illum esse effectorem uolo. Hoc Cnaeus noster, cum antea numquam, cum in hac causa minime cogitauit. dominatio quaesita ab utroque est, non id actum, beata, & honesta ciuitas ut esset. Nec uero ille urbem reliquit, quod eam tueri non posset; nec Italiam, quod ea pelleretur: sed hoc a primo cogitauit, omnes terras, omnia maria mouere, reges barbaros incitare, gentes feras armatas in Italiam adducere, exercitus conficere maximos, genus illud Sullani regni iam pridem appetitur, multis, qui una sunt, cupientibus an censes, nihil inter eos conueniret nullam passionem fieri potuisse: hodie potest, sed neutri exoritur est ille, ut nos beati simus, uterque regnare uult. Haec, a te imitatus, breuiter exposui, nolui tibi enim me, quid de his malis sentirem, ostendere. *De bello* igitur, noster Attice, non ariolans, ut illa, cui nemo credidit, sed conieclura prospiciens. Iamq. mari magno, non multo inquam secus possum uaticinari: tanta malorum impendet ira, atque hoc nostra grauior est causa, qui domi sumus, quam illorum, qui una transierunt, quod illi quidem alterum metuent, nos utrumque. cur igitur, inquis, remansimus? uel tibi paruumus; uel non occurrimus; uel hoc sicut rectius, conculcari, inquam, miseram Italiam uidebis proxima aestate ab utriusque mancipiis ex omni genere collectis. nec tam proscripio pertimescenda, quae Lucretiae multis sermonibus denunciata est, quam in uerse interioribus: tantas in confligendo utriusque uires uideo futuras. Ha-

bes coniecluram meam. tu autem consolatonis fortasse aliquid expectasti, nihil inuenio. nihil fieri potest miserius, nihil perditius, nihil foedius. Quod quaeris, quid Caesar ad me scripserit: quod saepe: gratissimum sibi esse, quod quierim: oratque, in eo ut persecrem. Balbus minor haec eadem mandata. iter autem eius erat ad Lentulum eos, cum litteris Caesaris, praemiorumq. promissis, si Roman reuertisset. uerum, cum habeo rationem dierum, ante puto transmissurum, quam potuerit conueniri. Epistolarum Pompeii duarum, quas ad me misit, negligentiam, meamq. in rescribendo diligentiam uolui tibi notam esse. earum exempla ad te misi. Caesaris hic per Apuliam ad Brundisium cursus quid efficiat, expecto. utinam aliquid simile Parthicis rebus. simul aliquid audiero, scribam ad te. tu ad me uelim bonorum sermones. Romae frequentes esse dicuntur, scio equidem te in publicum non prodire. sed tamen, audire te multa, necesse est. Memini tibi librum afferri, a Demetrio Magne ad te missum, *περί ὁμοιοτήτων*. cum mihi uelim mittas, uides, quam causam mediter. Vale.

Cn. Pompeius procos. M. Ciceroni imp. S. Q. Fabius ad me uenit ad 14. id. Febr. is nunciat L. Domitium cum suis cohortibus. XI. & cohortibus. XIV. quas Vibullius adduxit, ad me iter habere; habuisse in animo proficisci Corfinio: & ad 5. id. Febr. C. Hirrum cum 5. cohortibus subsequi. censeo, ad nos Luceriam uenias, nam te huiusmodi puto fore. Vale.

Cicero imp. Cn. Pompeio procos. S. Ad Kal. Mar. Fornius accepi tuas litteras: ex quibus, ea, quae in agro Piceno gesta erant, cognoui commodiora esse multo, quam ut erat nobis nunciatum; Vibulliusq. uirtutem, industriamq. libenter agnouit. Nos adhuc in ea ora, ubi praepositi sumus, ita sumus, ut matrem paratam haberemus. ea enim audiebamus, & ea uerebamur, ut, quodcumque tu consilium praecipisses, id nobis persequendum putaremus. nunc, quoniam auctoritate, & consilio tuo in spe firmiore sumus; si tibi posse putas Tarracinam, & oran maritimam, in ea manebo. etsi praefidia in opidis nulla sunt, nemo enim nostri ordinis in his locis est praeter M. Eppium, quem ego Minurnis esse uolui, uigilantem hominem, & industrium. L. Torquatium, arum forem, & cum auctoritate

auctoritate, Formias non habemus: ad te profectum arbitramur. ego omnino, ut proxime tibi placuerat, Capuam ueni eo ipso die, quo tu Theano Sidicino es profectus. uolueras enim me cum M. Confidio propraet. illa negotia tueri. cum eo uenissim, uidi T. Ampium delectum habere diligentissime, ab eo accipere Libonem summa item diligentia, & in illa colonia auctoritate. fui Capuae, quoad consules. iterum, ut erat dictum ab consulibus, ueni Capuam ad non. Febr. cum suissem triduum, recepi me Formias, nunc, quod tuum consilium, aut quae ratio belli sit, ignoro. si tenendam hanc oram putas, quae & opportunitatem, & dignitatem habet, & egregios ciues, & ut arbitror, teneri potest: opus est esse, qui praestit. sin omnia in unum locum contrahenda sunt: non dubito, quin ad te statim ueniam: quo mihi nihil optatius est. idq. tecum, quo die ad urbe discessimus, locutus sum. ego, si cui adhuc uideor segnior fuisse, dum ne tibi uidear, non laboro. & tamen, si, ut uideo, bellum gerendum est, confido me omnibus facile satisfacturum. M. Tullium, meum necessarium, ad te misi, cui tu, si tibi uideretur, ad me litteras dares. Vale.

Cn. Pompeius procos. M. Ciceroni imp. S.

Tuas litteras libenter legi. recognoui enim tuam pristinam uirtutem etiam in salute communi. Consules ad eum exercitum, quem in Apulia habui, uenerunt. Magnopere te hortor, pro tuo singulari, perpetuoq. studio in remp. ut te ad nos conseras; ut communi consilio reip. afflictas opem, atque auxilium feramus. censeo, uia Appia iter facias, & celeriter Brundisium uenias. Cura ut ualeas.

M. Cicero imp. Cn. Pompeio procos. S.

Cum ad te litteras misissem, quae tibi Canusij redditae sunt, suspicionem nullam habebam, te reip. causam mare transiturum; etiamq. in spe magna fore, ut in Italia possemus aut concordiam constituere, qua mihi nihil uilius uidebatur, aut remp. summa cum dignitate defendere: interim, non dum meis litteris ad te perlatis, exijs mandatis, quae D. Laelio ad consules dederas, certior tui consilij factus, non exspectaui, dum mihi a te litterae redderentur; confestimq. cum Quinto fratre, & cum liberis nostris iter ad te in Apuliam facere coepi. cum T. beanum Sidicinum uenissim, C. Messium, familiaris tuus, mihi dixit, alijque complures; Caesarem iter habere Capuam, & eo ipso die mansurum esse Aeserniae. sane sum commotus; quod, si ita esset, non modo iter meum interclusum, sed me ipsum plane exceptum putabam. itaque tum Cales procepsi, ut ibi potissimum consisterem, dum certum nobis ab Aesernia de eo, quod audieram, referretur. at mihi, cum Calibus essem, asseritur litterarum tuarum exemplum, quas tu ad Lentulum cos. misisses. hae scriptae sic erant: litteras tibi a L. Domitio ad XI. kal. Mart. allatas esse: eorumq. exemplum subscripseras: magniq. interesse reip. scripseras, omnes copias primo quoque tempore in unum locum conuenire; & ut, praesidij, quod satis esset, Capuae relinqueret. His ego litteris lectis, in eadem opinione fui, qua reliqui omnes, te cum omnibus copijs ad Corfinium esse uenturum: quo mihi, cum Caesar ad epidum castra haberet, tutum iter esse non arbitrabar. cum res in summa expectatione esset, utrimque simul audimus, & quae Corfinij acta essent, & te iter Brundisium facere coepisse, cumq. nec

mibi, nec fratri meo dubium esset, quin Brundisium contenderemus, a multis, qui e Sannio, Apuliaq. ueniebant, admoniti sumus, ut caueremus, ne exciperemur a Caesare; quod is in eadem loca, quae nos petebamus, profectus, celerius etiam, quam nos possemus, eo, quo in tenderat, uenturus esset. quod cum ita esset; nec mihi, nec fratri meo, nec cuiquam amicorum placuit committere, ut temeritas nostra non solum nobis, sed etiam reip. noceret; cum praesertim non dubitarem, quin, si etiam tutum nobis iter fuisset, te tamen iam consequi non possemus. interim accepimus tuas litteras, Canusio ad x. kal. Mart. datas, quibus nos hortaris, ut celerius Brundisium ueniamus. quas cum accepissemus ad XI. kal. Mart. non dubitabamus, quin tu iam Brundisium peruenisses: nobisq. iter illud omnino interclusum uidebamus, neque minus nos esse captos, quam qui Corfinium uenissent. neque enim eos solos arbitrabamur capi, qui in armatorum manus incidissent, sed eos nihilominus, qui regionibus exclusi, intra praesidia, atque intra arma aliena uenissent. quod cum ita sit; maxime uellem primum tecum semper fuisse; quod quidem tibi ostenderam, cum a me Capuam reuocibam: quod feci non uitandi oneris causa, sed quod uidebam, teneri illam urbem sine exercitu non posse. accidere autem mihi nolebam, quod doleo uiris fortissimis accidisse. quoniam autem, tecum ut essem, non contigit: utinam tui consilij certior factus essem. nam suspitione assequi non potui; quod omnia prius arbitratus sum fore, quam ut haec reip. causa in Italia non posset duce te consistere. neque uero nunc consilium tuum reprehendo, sed fortunam reip. lugeo. nec, si, ego, quid tu sis, secutus, non perspicio, scircum minus existimo, te nihil, nisi summa ratione, fecisse. mea quae semper fuerit sententia, primum de pace uel iniqua conditione retinenda, deinde de urbe, (nam de Italia quidem nihil mihi unquam ostenderas) meminisse te arbitror. sed mihi non sumo, ut meum consilium ualere debuerit: secutus sum tuum, neque id reip. causa, de qua desperaui, quae & nunc afflictas est, nec excitari sine civili perniciossimo bello potest: sed te quaerebam: tecum esse cupiebam: neque eius rei facultatem, si qua erit, praetermittam. Ego me in hac omni causa facile intelligebam pugnandi cupidus hominibus non satisfacere. primum enim praeme tuli, me nihil malle, quam pacem: non quin eadem timerem, quae illi: sed ea bello civili leuiora ducebam. inde, suscepto bello, cum pacis condiciones ad te afferri, a teq. ad ea honorifice, & large responderi uiderem; duxi meam rationem; quam tibi facile me probaturum, pro tuo in me beneficio, arbitrabar. Memineram me esse unum, qui pro meis maximis in remp. meritis supplicia miserrima, & crudelissima perculissem: me esse unum, qui, si offendissem eius animum, cui tum, cum iam in armis essemus, consulatus tamen alter, & triumphus amplissimus deferebatur, subicerer eiusdem proeljs: ut mea persona semper ad improborum eunum impetus aliquid uideretur habere populare. atque haec non ego prius sum suspicatus, quam mihi palam denunciata sunt: neque ea tam peritui, si subeunda essent, quam declinanda putauim, si honeste uitare possem. Quoniam breuem illius temporis, dum in spe pax fuit, rationem nostras uides; reliqui facultatem res ademit. Iis autem, quibus

non satisfacio, facile respondeo. neque enim ego amiciores C. Caesari umquam fui, quam illi. neque illi amiciores reip. quam ego. hoc inter me, & illos interest, quod, cum & illi ciues optimi sint, & ego ab ista laude non absum, ego condicionibus, quod idem te intellexeram velle, illi armis disceptari maluerunt. quae quoniam ratio uiciorum perficiam profecto, ut neque resp. ciuis a me animum, neque tu amici desideres. vale.

EXPLANATIO

CONSISTIT § tum consistit consilium, cum cogitando aliquid explicauimus. **NIHIL explicatur** § quod mihi nunc accidit: ideoque leuatur cura. **ILLUD tamen** § cum uerear, ne, nihil cum proficiam quotidiana lamentatione, dedecori sim studijs, ac litteris nostris: lamentationi tamen totos dies damus. **ETIAM** § praeter quam quod nihil proficio. **LITTERIS** § pro libris hic posuit, ab ipso scriptis, ut alibi. **NOSTRIS libris** § de rep. **BEATA & honesta** § primum ad copias, alterum ad uirtutes refertur. **NON ariolans** § non diuino furore commotus, ut olim Cassandra, cui uera praedicenti tamen credidit. **LAMQ. mari magno** § hemistichium ex uetere poeta: cuius integri sunt uersus, anapaestici dimetri ex persona Cassandrae uaticinantis, libro 1. de diuinatione.

,, lamq. mari magno classis cita

,, Textur: exitium, examen rapit,

,, Aduenit, & fera ueliuolantibus

,, Nauibus compleuit manus litora.

NON multo secus § ego de bello ciuili, atque Cassandra de Troiano. **NON occurrimus** § non licuit nobis Pompeium adire, cum discessurus esset. ep. 3. & XI. **PROSCRIPTO** § quae nominatum est de certis. **PERTIMESCENDA** § utrumque uinceret, aut Caesar, aut Pompeius. **VNIUERSE** § aduerbium omnes comprehendens, ut Generaliter. **QUID quierim** § quod nullum maius negotium susceperim. & Pompeio Italia exeunte, remanserim. **BALBUS minor** § hic est L. Cornelius Balbus. minor appellatur, ut a maiore Balbo, eius patruo, distingueretur, eo, pro quo exstat Ciceronis oratio. triumphauit ex Africa. Plinius lib. 5. cap. 5. Omnia, inquit, armis Romanis superata, & a Cornelio Balbo, inquit, opidum Garama, caput Garamantum, triumphata, unius omnium externo curru, & Quiritium iure donato: quippe Gadibus nato ciuitas Romana cum Balbo maiore, patruo, data est. Balbus uero maior non est is, qui nominatur ep. 12. lib. 2. (nam ille Atius est, qui Atiam, Augusti matrem, genuit) sed is, qui ep. 3. lib. 7. Tatellius uocatur, negotiorum C. Caesaris in urbe procurator. Tres igitur Balbi, unus Aricinus, Atiae gentis, maritus Iuliae, Caesaris fororis: duo Gaditani, ciuitate donati, Corneliae gentis facti: quorum alter Balbus maior, alter minor, ex maioris fratre genitus, dictus est. de minore uidenda Asinij epist. lib. 10. fam. Quantum quoque Balbum inuenio, gentis Ampiae, ad quem scribitur epist. 12. lib. 6. **BRUNDISIUM** § ut Pompeium fugientem insequeretur. **PARTHICIS rebus** § quarum exitus inanes, nam, est Parthi, subito cursu in prouincias irrupentes, magnum in serunt terrorem: tamen haud magna calamitas consequitur, iisdem continuo discedentibus. **ADDEXIT** § ex Piceno. Caesar lib. 1. de bel. ci. **HIRRVUM** § gentis Lucciae. **VIRTUTEM, industriamq.** § in colligendis, adducendisq. Corfinium militibus. **IN ea ora** § Campana. epist. XI. lib. 7. **EPIIUM** § Eppiorum familiam ex Andreae Lauretani, patricij Veneti, & Pulaij Vrsini argenteis nummis cognouimus, in quibus est, **EPIIUS. LEG. F. C.** & ex lapide, qui Materni est, in quo legitur, **EPIIUS. P. FAB. R. V. S. MIL. COHOR. III. PRAET. T. F. I. ARBITR. ITÉ** ex alijs lapidibus, quorum inscriptiones collegit Aldus filius, & ex Hirtij lib. 5. de bello Africano. Accedit ipsius Ciceronis testimonium in oratione pro Flacco. nominat enim L. Eppium equitem R. Bellarionis liber, & alius amicissimi mei, Oppium: quod si uere scriptum est, ex utraque parte Oppios fuisse dicemus, Caesaris & Pompeij, sicuti & Domitij suere. Caluinus a Caesare, Ahenobarbus a Pompeio. **CVM auctoritate** § ut consularem. **CONSILIO** § Confidio Noniano, de quo fam. ep. 4. lib. 16. **T. AMPIVM** § ad quem exstant Ciceronis epistolae fam. lib. 6. & 10. cuius etiam mentionem facit Caesar lib. 3. de bel. ci. **DIALLO** § placet, quod alius, ut & hic, & sequenti epistola, legatur, D. Caelio, qui Pompeianus fuit. Bellarionis liber, Dicallo, alius, Duellio. **MESSIUS** § de quo ep. 1. lib. 4. **CONTINUA acta** § Domitium, & eos, qui una essent, Caesari se tradidisse. **PRIMUM** § solet subiungi. Deinde, hic omittitur, sed significatur eo, Vtinam tui consilij. Sic locutus 1. 2. ep. 9. & 23. l. 7. fam. **FORTISSIMIS uiris** § Domitio, Lentulo, Vibullio, alijsque, qui in Caesaris potestatem uenerint. **De urbe** § non relinquenda. **De Italia** § commendanda. **EADÉM timere** § Caesare consule. ep. 9. lib. 7. **HONORIFICE** § eum reip. tum dignitatis tuae causa. **LARGE** § ne publica res, bello suscepto, in discrimen adduceretur. Large enim est, liberaliter, prolixè. **DXI meam rationem** § hoc cogitauit, quid non esse mihi faciendum, ut Caesaris animum offenderem: itaque pacis auctor fui, uel cum ijs condicionibus, quas ille ferret, qui bello ciuili nihil esse miserius intelligerem. feci quid eo libentius, quia, cum ad pacis condiciones uiderem a te honorifice, largeq. responderi, meum consilium non arbitrabar a tua sententia discrepare. **MERITIS** § Catilinae coniuratione oppressa, lege agraria dissuasa, discordia inter equites & plebem sublata, senatus auctoritate in Rabirio defendendo confirmata, proscriptionum filijs administratione reip. remotis, ne illi, parentum memores, in magistratibus turbarent. **SUPPLECTA** § exulium, publicatis bonis. **S. offendissem eius animum** § si Caesarem quamuis leniter offendissem: nedum, si, bello suscepto, me illi aperte inimicum offendissem. quasi dicat: si quid

quid commissem, quod ex illius uoluntate minus esset. CUM iam in armis essemus & postquam tribuni pl. ex urbe fugerunt: quo facto in armis esse coeperunt. dicit idem in proxima epistola. SUBTICERER eisdem proelijs & uerebar scilicet, ne uobis in gratiam redeuntibus, ego deinde, tuo praesidio nudatus, Caesari, quem offendissem, poenas darem. Notat autem latenter perfidiam Pompeij, cuius in amicitia iam ante Clodianis temporibus parum senserat esse praesidij. antiquus liber, Obijceret, pro Subijceret. EISDEM & ut olim pro rep. pugnandum, inquit, mihi cum Caesare fuisset, sicut olim cum P. Clodio, uide ep. 7. l. 10. VIDERETUR habere populare. & ut ego potissimum deligi uiderer, in quem improbi ciues impetum facerent: ut ego ad perniciem non minus appetere, quam appetuntur ea, quae popularia sunt. HAEC & haec incommoda, quae pertimui, si offendissem Caesaris animum. DENUNCIATA & ijs, qui Caesaris consilia nouerant, ut a M. Coelio, fam. ep. 16. l. 8. HONESTE uitare & nulla suscepta belli parte. RATIONEM nostram & quod arma aduersus Caesarem non sumpserim. RELIQUI & desperata pace cur ad te non uenerim, non enim licuit: ut in hac ipsa epistola iam ostendit, CONDICIONIBVS & ut ad concordiam res deduceretur.

Cicero S. D. Attico. 12.

Mihi molestior lippitudo erat etiam, quam ante fuerat: dictare tamen hanc epistolam malui, quam Gallo Fabio, amatissimo utriusque nostrum, nihil ad te litterarum dare, nam pridie quidem, quoquo modo poteram, scripseram ipse eas litteras, quarum uaticinationem falsam esse cupio. huius autem epistolae non solum ea causa est, ut ne quis a me dies intermitteretur, quin dem ad te litteras; sed etiam haec instior, ut a te impetrarem, ut sumeres aliquid temporis: quo quia tibi per exiguo opus est, explicari mihi tuum consilium plane nolo, ut penitus intelligam. Omnia sunt integra nobis, nihil praetermissum est, quod non habeat sapientem ex curationem, non modo probabilem, nam certe neque tum peccari, cum imparatam iam Capuam, non solum ignauiae delectus, sed etiam perfidiae suspicionem fugiens, accipere nolui: neque, cum post conditiones pacis per L. Caesarem, & Fabium adatas, cavi, ne animum eius offenderem, cui Pompeius iam armatus armato consulatum, triumphumque deferret. Nec uero haec extrema quisquam potest iure reprehendere, quod mare non transferim, id enim, etsi erat deliberationis, tamen obire non potui: neque enim suspicari debui: praesertim cum ex ipsius Pompeij litteris, idem quod uideo te existimasse, non dubitarem, quin is Domitio subuenturus esset. & plane, quid rectum, & quin faciendum mihi esset, diutius cogitare malui. Primum igitur, haec qualia tibi esse uideantur, etsi saepius significata sunt a te, tamen accuratius mihi perscribas, uelim: deinde aliquid etiam in posterum prospicias, singasque, quem me esse deceat, & ubi me plurimum prodesse reip. sentias: eoque pacifica persona desideretur, an in bellatore sint omnia. Atque ego, qui omnia officio melior, recordor tamen tua consilia, quibus si paruissim, tristitiam illorum temporum non subiissem. memini, quid mihi tum suaseris per Theophanem, per Culeonem: idque saepe ingeniosus sum recordatus, quare nunc saltem ad illos calculos reuertamur, quos tum abieciimus, ut non solum gloriosis consilijs utamur, sed etiam paullo salubrioribus, sed nihil praescribo, accurate uelim perscribas tuam ad me sententiam. Volo etiam exquiras, quam diligentissime poteris, (habebis autem, per quos possis) quid Lentulus nosset, quid Domitius agat, quid acturus sit, quem admodum nunc se gerant, num quem accusent, num cui succer-

seant: quid dico, num cui? num Pompeio, omnino culpam omnem Pompeius in Domitium confert: quod ipsius litteris cognosci potest: quarum exemplum ad te mitto. Haec igitur uidebis: & quod ad te ante scripsi, Demetrii Magnetis librum, quem ad te misit, de concordia, uelim mihi mittas. Vale.

Cn. Magnus procos. M. Marcello L. Lentulo cos. S. Ego, quod existimabam, dispersos nos, neque reip. utiles, neque nobis praesidio esse posse, ideo ad L. Domitium litteras misi, primum uti ipse cum omni copia ad nos ueniret: si de se dubitaret, ut cohortes XIX. quae ex Piceno ad me iter habebant, ad nos mitteret, quod ueritus sum, factum est, ut Domitius implicaretur, neque ipse satis firmus esset ad castra facienda: quod meas XIX. & suas XII. cohortes tribus in opidis distributas haberet, (nam partim Albae, partim Sulmonae collocauit) neque, si uellet, expedire posset. nunc scitote, me esse in summa sollicitudine, nam & tot, & tales uiros periculo obsidionis liberare cupio: neque subsidio ire possum; quod his duabus legionibus non puto esse committendum, ut illuc ducantur, ex quibus tamen non amplius XIV. cohortes contrahere potui, quas Brundisium nisi, neque Canusium sine praesidio, dum abessem, putauit esse dimittendum. D. Aelio mandata, quod maiores copias sperabam nos habituros, ut, si uobis uideretur, alteruter uestrum ad me ueniret, alter in Ciliciam cum ea copia, quam Capuae, & circum Capuam comparatis, & cum his militibus, quos Faustus legit, proficisceretur; Domitius cum XII. suis cohortibus eodem adiungeretur; reliquae copiae omnes Brundisium cogerentur, & inde nauis Dyrrhachium transportarentur. nunc, cum hoc tempore nihilo magis ego, quam uos, subsidio Domitio ire possim, seu per montes explicare, non est nobis committendum, ut ad has XIV. cohortes, quas dubio animo habeo, hostis accedere, aut in itinere me consequi possit. Quamobrem placitum est mihi, (etiam uideo C. Marcello, & ceteris nostri ordinis, qui hic sunt) ut Brundisium ducerem hanc copiam, quam mecum habeo, uos hortor, ut, quod cumque militum contrahere poteritis, contrahatis, & eodem ueniatis quamprimum, arma, quae ad me missuri eratis, his, censeo, armetis milites, quos uobis cum habetis, quae arma superabunt, ea si Brundisium iumentis deportaueritis, uehementer reip. profueritis. de hac re uelim nosse.

stros certiores faciatis. ego ad P. Lupum, & C. Coponinum praetores misi, ut se uobis coniungerent, & militum quod haberent, ad uos deducerent. Vale.

Cn. Pompeius procos. L. Domitio procos. S.

Miror, te ad me nihil scribere, & potius ab alijs, quam a te, de rep. certiores me fieri. Nos, disiecta manu, pares aduersarijs esse non possumus. contractis nostris copijs, spero nos & reip. & communi saluti prodesse posse. quamobrem cum constituisses, ut Vibullius mihi scripserat, ad v. id. Febr. Corfinio proficisci cum exercitu, & ad me uenire: miror, quid causae fuerit, quare consilium mutaris. nam illa causa, quam mihi Vibullius scribit, leuis est, te propterea moratum esse, quod audieris, Caesarem Firmo progressum in Castrum Truentinum uenisse. quanto enim magis appropinquare aduersarius coepit, eo tibi celerius agendum erat, ut te mecum coniungeres, prius, quam Caesar aut tuum iter impedire, aut me abs te excludere posset. Quamobrem etiam te rogo, & hortor, id quod non desisti superioribus litteris a te petere, ut primo quoque die Luceriam aduenias antequam copiae, quas instituit Caesar contrahere, in unum locum coactae nos a nobis distrahant. sed si erunt, qui te impediunt, ut illas suas seruent: aequum est me a te impetrare, ut cohortes, quae ex Piceno, & Camerino uenerunt, quae fortunas suas reliquerunt, ad me missum facias. Vale.

Cn. Pompeius procos. L. Domitio procos. S.

Litteras abs te M. Calenus ad me attulit ad XIII. Kalend. Mart. in quibus litteris scribis, tibi in animo esse, obseruare Caesarem, & si secundum mare ad me ire coepisset, confestim in Samnium ad me uenturum; sin autem ille circum ista loca commoraretur, te ei, si propius accessisset, resistere uelle. te animo magno, & forti istam rem agere exilimo; sed diligentius nobis est uidentium, ne distracti pares esse aduersario non possumus; cum ille magnas copias habeat, & maiores breui habiturus sit. non enim pro tua prudentia debes illud solum animaduertere, quot in praesentia cohortes contra te habeat Caesar, sed quantas breui tempore equitum, & pedum copias contrahiturus sit. cui rei testimonio sunt litterae, quas Busenius ad me misit; in quibus scribit, id quod ab alijs quoque mihi scribitur, praesidia Curationem, quae in Umbria, & Tuscis erant, contrahere, & ad Caesarem iter facere. quae si copiae in unum locum fuerint coactae, ut pars exercitus ad Albam mittatur; pars ad te accedat, ut non pugnet, sed locis suis repugnet: haerebis, neque solus cum ista copia tantam

multitudinem sustinere poteris, ut frumentatum eas. Quamobrem te magno opere hortor, ut quamprimum cum omnia copia huc uenias. consules constituerunt id facere. ego Metuscilio ad te mandata dedi, providendum esse, ne duae legiones sine Picentinis cohortibus in conspectum Caesaris committerentur. Quamobrem nolito commoueri, si audieris me regredi, si forte Caesar ad me ueniet. cauendum enim puto esse, ne implicatus haeream. nam neque castra, propter anni tempus, & militum animos, facere possum: neque ex omnibus opibus contrahere copias expedire; ne receptum amittam, itaque non amplius XIV. cohortes Luceriam coegi. consules praesidia omnia deductari sunt, aut in Siciliam ituri. nam aut exercitum firmum habere oportet, quo confidamus perumpere nos posse; aut regiones eiusmodi obtinere, e quibus repugnemus. id quod neutrum nobis hoc tempore contingit: quod & magnam partem Italiae Caesar occupauit; & nos non habemus exercitum tam amplum, neque tam magnam, quam illo, itaque nobis providendum est, ut summam reip. rationem habeamus. Etiam atque etiam te hortor, ut cum omnia copia quamprimum ad me uenias. possumus etiam nunc remp. erigere si communi consilio negotium administrabimus: sin distrahemur, infirmi erimus. mihi hoc consilium est. His litteris scriptis, Sica a te mihi litteras attulit, & mandata. Quod me hortare, ut istuc ueniam: id me facere non arbitror posse; quod non magno opere his legionibus confido. Vale.

Cn. Pompeius L. Domitio S. Litterae mihi a te

redditae sunt ad XII. Kal. Mart. in quibus scribis, Caesarem apud Corfinianam castra posuisse. quod putari, & praemonui, sit, ut nec in praesentia committere tecum proelium uelit, & omnibus copijs conductis, te implicet, ne ad me iter expeditum tibi sit, atque istas copias coniungere optimorum ciuium possis cum his legionibus, de quarum uoluntate dubitamus. quo etiam magis tuis litteris sum commotus. neque enim eorum militum, quos mecum habeo, uoluntati satis confido, ut de omnibus fortunis reip. dimicem: neque etiam, qui ex delectibus conscripti sunt a consulibus, conuenerunt. Quare da operam, si ulla ratione etiam nunc efficere potes, ut te explices, huc quamprimum uenias ante, quam omnes copiae aduersariorum conueniant. neque enim celeriter ex delectibus huc homines conuenire possunt: & si conuenirent, quantum ijs committendum sit, quod inter se ne noti sunt, contra ueteranas legiones, non te praeterit. Vale.

EXPLANATIO

VATICINATIONEM § usurpauit enim illud Cassandrae, iamq. mari magno. ep. XI. EXCVSATIONEM § apud bonos uiros. IMPARATAM § a militibus. ep. XI. IGNAVIAE delectus § nisi firmas copias collegissem tuendae Capuae causa, ignaum fortasse me homines fuisse ducent in habendo delectu. PERFIDIAE § fortasse enim, si tueri Capuam non possem, perfidiae inaeque potius, quam infirmitati copiarum, aliquis adscriberet. NOLVI § in epistola proxima superiore, Cum a me Capuam reijciebam: quod feci non uitandi oneris causa. CONSVLATVM § alterum. ep. XI. ANIMVM eius § uide quae scripsit in proxima, ep. XII. NEQVE enim suspicari debui § quod supra dixit, Suspicionem assequi non potui. ep. XI. Et plane § &, ut uere dicam, ideo non transiui, quod, quid rectum esset, quid reip. utilius, non plane uidebam, cogitare diligentius uolebam. SIGNIFICATA § mihi esse manendum in Italia: ut epist. 17. lib. 7. & XI. lib. 8. ECQVAE pacifica § utrum me deceat in Italia remanere, quod pacificam aliquam personam resp. uideatur desiderare, cuius auctoritate inter Caesarem, & Pompeium

peium discordiae sedentur; (quod effici non nisi ab eo potest, quem sibi uterque putet esse amicissimum: quem ego me duco esse; cum adhuc quidem neutram in partem peccauerim, ut proxime ostendit) an ad bellum proficisci; quod pacifica persona reip. nihil, bellator prodesse plurimum possit. **TVA consilia.** § Clodianis temporibus; cum mihi suadebas, ne omnia officio metrer, sed salutis simul rationem haberem, conseruanda Caesaris amicitia, quod quia non feci, in maximas aerumnas incidi. **THEOPHANEM, Culeonem** : § utrumque Pompeij amicissimum. **INGEMISCENS** § quia tuis consilijs non parui. **AD illos calculos** § hoc dicit: quod tum non fecimus, nunc, nostris casibus moneri, faciamus. **LENTVLVS, Domitius**, § Lentulus Spinther, Domitius Ahenobarbus, quos Caesar, Corfinio potitus, dimiserat in columes. epist. 1. lib. 9. **M. MARCELLO**, § Marcus cum Ser. Sulpicio consul fuerat altero ante anno, reponere igitur C. pro M. ut est in historia. **COHORTES XIX**, § XIV. a Vibullio, v. ab Hirro adductas. epist. XI. **SVAS XII.** § supra XI. dixit epist. XI. **TRIBVS** § Corfinij, Albae, Sulfomone. **DVAVS legionibus** § uide quae diximus epist. 13. lib. 7. **AELIO** § legendum puto, Laelio. uide epistola XI. **FAVSTVS** § Sulla, dictatore natus. epist. 3. **DVBIO animo** § uide epistola 13. libro 7. **ETIAM uideo C. Marcello**. § Bessarionis liber, Alti uideo censori Marcello, ego sic, Acira uideo censori Marcello. **P. LVPVM** § Rutiliae gentis. is, qui tribunus pl. fuerat Marcellino & Philippo cos. **COPONIVM** § quem tradit Velleius, cum Plancus, recens transfuga, multa ac nefanda in senatu obijceret absenti Antonio, dixisse: Multa mehercules fecit Antonius pridie quam tu illum relinqueres. **QVI te impediunt**, § Albani, Marfi, & Peligni duces, qui suas cohortes cum periculo ad Pompeium ire nolent. circiter enim XV. cohortes Domitius coegerat ex Alba, Marfi, Pelignis, & finitimis regionibus. Caesar de bello ci. lib. 1. **PICENO, & Camerino** § adductae a Vibullio, & Hirro. ep. XI. **METVSCILIO** § Bessarionis liber, Metustileo. **DVAE legiones** § quas dubio animo habeo. **PICENTINIS** § ex Piceno adductis a Vibullio, quae tum erant cum Domitio. **MILITVM animos** § quibus non magnopere confido. ep. 13. lib. 7. & 12. lib. 8. **RECEPTVM** § ipsa opida, quo receptum habemus, quib. amissis, quo nos reciperemus, non esset. **QVOD inter se ne notis malim**, Qui inter se nec noti sunt: ut milites dicat non modo irones, sed nec inter se notos. aut, Qui inter se noti quidem sunt, quod magis placeat. scriptum enim est in antiquo libro amicissimi mei, Octauij Pantagathi, & erit haec sententia: Caesaris milites quia ueterani, ideo familiares inter se sunt, & amicissimi; quod plurimum prodest ad robur exercitus: nostri uero ne noti quidem inter se sunt: tantum abest, ut familiares, amicitq. sint, quo minus est illis contra ueteranas legiones committendum.

Cicero S. D. Attico. 13.

LIPPITVDINIS meae signum tibi sit librarij manus, & eadem causa breuitatis. etsi nunc quidem, quod scriberem nihil erat. omnis expectatio nostra erat in nuncijs Brundisij. si nactus hic esset Cnaeum nostrum, spes dubia pacis: sin ille ante transmississet, exitiosi belli metus. sed uides ne, in quem hominem inciderit resp. & quam acutum, quam uigilantem, quam paratum? si mehercule neminem occiderit, nec cuiquam quidquam ademerit: ab ijs, qui eum maxime timuerat, maxime diligetur. multum mecum municipales homines loquuntur, multum rusticani, nihil prorsus aliud curant, nisi agros, nisi uillulas, nisi nummulos suos. & uide, quam conuersa res est. illum, quo antea confidebat, metuunt; hunc amant, quem timebant. id quantis nostris peccatis, uisusq. euenerit, non possum sine molestia cogitare. quae autem impendere putarem, scripseram ad te; & iam tuas litteras expectabam. Vale.

EXPLANATIO

NACTVS § assecutus, antequam mare transierit. **SPES dubia** § quia in eo uictoria Caesaris uideatur futura, si Pompeius assequatur. **RUSTICANI** § colonias intelligit. sic infra, epist. 17. lib. 9. **QVAE autem impendere** § uastationem Italiae: de qua scripsit epist. XI.

Cicero S. D. Attico 14.

NON dubito, quin tibi odiosae sint epistolae quotidianae, cum praesertim neque noua de re aliqua certior te faciam, neque nouam denique iam reperiam scribendi ullam sententiam. sed, si de diti opera, cum causa nulla esset, tabellarios ad te cum inanibus epistolis mitterem; facerem inepte: euntibus uero, domesticis praesertim, ut nihil ad te dem litterarum, facere non possum. & simul (crede mihi) requiesco paululum in his miseris, cum quasi tecum loquor; cum uero tuas epistolas lego, multo etiam magis omnino intelligo, nullum fuisse tempus post has fugas, & formidines, quod magis debuerit mutum esse a litteris. propterea quod neque Romae quidquam auditur noui, nec in his locis, quae a Brundisio absunt propius quam tu, biduum,

dium, aut triduum. Brundisij autem omne certamē ueritur huius primi temporis. qua quidem expectatione torqueor. sed omnia ante nos sciemus. eodem enim die uideo Caesarem a Corfinio post meridiem profectum esse, quo Canusio mane Pompeium. eo modo autem ambulat Caesar, & ijs diarijs militum celeritatem incitat, ut timeam, ne citius ad Brundisium, quam opus sit, accesserit. Dices, Quid igitur proficis, qui anticipes eius rei molestiam, quam triduo sciturus sis? Nihil equidem: sed, ut supra dixi, tecum peribener loquor. & simul scito, labare meum consilium, illud, quod satis iam fixum uidebatur. non mihi satis idonei sunt auctores ij, quia a te probantur. quod enim unquam eorum in rep. sorte factum exiit? aut quis ab his ullam rem laude dignam desiderat? nec mehercule laudandos existimo, qui trans mare belli parandi causa profecti sunt. (quanquam haec ferenda non erant) uideo. n. quantum

id bellum, & quam pestiferum futurum sit. sed me mouet unus uir, cuius fugientis comes, temp. recuperantis socius uideor esse debere. Toties ne igitur sententia mutas? ego tecum, tamquam mecum, loquor. quis autem est, tanta quidem de re, quin uarie secum ipse disputet? simul & elicere cupio sententiam tuam, si manet, ut firmior sim; si mutata est, ut tibi assentiar. omnino ad id, de quo dubito, pertinet, me scire, quid Domitius acturus sit, quid nosser Lentulus. de Domitio uaria audimus, modo esse in Tiburti, aut Lepidi: quo cum Lepidus accessisset ad urbem, quod item falsum uideo esse. ait. n. Lepidus enim nescio quo penetrasse itineribus; occultandi sui causa, an maris apiscendi, ne id quidem scit. ignorat enim de filio. addit illud, sane molestum: pecuniam Domitio satis grandem, quam is Coreni habuerit, non esse redditam. de Lentulo autem nihil audimus. haec uelim exquiras, ad meq. perscribas. *Valc.*

EXPLANATIO

ABSVNT propius, & propinquiora sunt, sic & alibi locutus. Huius primi temporis & uter felicitior sit, Caesar in allequendo Pompeio, an Pompeius in transmittendo. DIARIJS & Bessarianis liber, & alij duo ueteres, Dictis, sed frigide nimis, ut mihi uideatur. Diaria, si legis, pro uictu quotidiano accipe. Martialis, Horatius. Aut, si mauis, interpretare stipendia in singulos dies militibus propofita, si quam celerrime iter ad Pompeium conficerent: ut si singulis diebus menstruum stipendium, id est xxx. denarios, polliceretur. & sane usitatum hoc erat, ut duces pollicitationibus ad milites uerterent, ubi difficile aliquid consequi uellent, uictus uero quotidianus neque magnum praemium est, & si liberalior sit, etiam impedit celeritatem. MEVM consilium & non exeundi ex Italia. IDONEI auctores, auctores in Italia remanendi. intelligit enim Attici litteras, 11. Kal. Martij datas, quibus ille ita scripserat: Si M. Lepidus, & L. Volcatius remanent, manendum puto. ep. 14. 14. QVAMQVAM haec & quae a Caesare sunt. VNVS uir & Pompeius. SI manet, & si eadem est, quae antea. FIRMIOR & in consilio non exeundi ex Italia. AD id, de quo dubito & ad hanc meam liberationem. ep. 1. 4. AUT Lepidi, & c. & desperatis uetat Hippocrates adhibere medicinam: ego quoque in hoc loco, cuius emendandi sine ueteribus libris mihi quidem spes non est, τὸ τοῦ ἰατροῦ τοῦ παυλοῦ tenere constitui, quamquam uideo, si, Aut, deleatur, sententiam patere: ut sit, in agro Tiburti Lepidi. CORENI & uideatur legendum, Corfinij: quo in opido magnam pecuniam Domitius habuerat. error inde fortasse natus, quod duarum litterarum, E, & F, magna similitudo est. quod alia quoque loca deprauauit. NON redditam & falsum. nam, redditam a se, Caesar scribit lib. 1. de bello ci.

Cicero S. D. Attico. 15.

AD v. non. Mart. epistolas mihi tuas Aegyptia reddidit, unam ueterem 15. Kal. quam te scribis dedisse Pinaro, quem non uidimus; in qua expectas, quidnam praemissus agat Vibullius: qui omnino non est uisus a Caesare. in altera epistola, uideo, te scire ita esse: & quemadmodum redeuntem excipiam Caesarem, quem omnino uitare cogito: & aut Hemonis fugam tendis, commutationemq. uitae tuae: quod tibi puo esse faciendum. & ignoras, Domitius cum fascibus ne sit. quod cum scies, facies, ut sciamus. Habes ad primam epistolam. secutae sunt duae, pridie Kal. ambae datae, quae me conuellerunt de pristino statu, iam tamen, ut ante ad te scripsi, labantem. Nec me mouet, quod scribis, Ioui ipsi iniquum. nam periculum in uocinus, quae iracundia positum est: uictoria autem ita incerta, ut deterior causa paratior mihi esse uideatur. nec me consules mouent, qui ipsi pluma, aut folio facilius mouentur: officij me deliberatio crucialis, crucialitq. ad-

huc. cautior certe est mansio. honestior existimatur traiectio: malo interdum, multi me non caute, quam pauci non honeste, fecisse existiment. De Lepido, & Tullo quod quaeris: illi uero non dubitant, quin Caesari praefecto futuri, in senatumq. uenturi sint. Recentissima tua est epistola Kal. data, in qua optas congressum, pacem non desperas: sed ego, cum haec scribebam, nec illos congressuros, nec, si congressi essent, Pompeium ad ullam condicionem accessurum putabam. Quod uideris non dubitare, si consules transeant, quid nos facere oporteat: certe transeunt, uel, quomodo nunc est, transferunt. sed memeto, praeter Appium, neminem esse scire, qui non ius habeat transeundi. nam aut cum imperio sunt, ut Pompeius, ut Scipio, Setenas, Fannius, & Octavius, Sextius, ipsi consules, quibus more maiorum concessum est uel omnes adire prouincias: aut legati sunt eorum. sed nihil de sero, quid placeat tibi, & quid propemodum rectum sit, intelligo. Plura scribere, si ipse possem: sed, ut

ut mihi uideor, potero biduo. Balbi Cornelij litterarum exemplum, quas eodem die accepi, quo tuas, misi ad te, ut meam uicem doleres, cum me derideri uideres. Vale. Balbus Cicero imp. S. Obsecro te Cicero, suscipe curam, & cogitationem dignissimam tuae uirtutis, ut Caesarem, & Pompeium, perfidia hominum distractos, rursus in pristinam concordiam reducas. crede mihi, Caesarem non solum in tua fore potestate, sed etiam maximum beneficium te sibi dedisse iudicaturum, si huc te reijcis. uelim, idem Pompeius faciat: qui ut adduci tali tempore ad ullam condicionem possit, magis opto, quam spero. sed, cum cōsulerit, & timere deserit; tum incipiam non desperare, tuam auctoritatem plurimum ualituram. Quod Lentulum cos. meum uoluisi hic remanere; Caesari gratum, mihi uero gratissimum medijsfidius fecisti. nam illum tanti facio, qui non Caesare magis diligam, qui si passus

esset, nos secum, ut consueueramus, loqui; & non se totum etiam & etiam ab sermone nostro auerisset: minus miser, quam sum, essem. nam caue putes, hoc tempore plus me quemquam cruciari; quod eum, quem ante me diligo, uideo in consulatu quiduis potius esse, quam consulem. quod si uoluerit tibi obtemperare, & nobis de Caesare credere, & consulatum reliquum Romae peragere: incipiam sperare, etiam, consilio senatus, auctore te, illo relato, Pompeium, & Caesarem coniungi posse. quod si factum erit, me satis uixisse putabo. Factum Caesaris de Corfinio totum me probaturum scito, & quo modo in huiusmodi re commodius cadere nō potuit, quam ut res sine sanguine confieret. Balbi mei, tuiq. aduentu delectatum te, ualde gaudeo. is quaecumque tibi de Caesare dixit, quaeq. Caesar scripsit; scio re tibi probabit, quaecumque fortuna eius fuerit, bellissime scripsisse. Vale.

EXPLANATIO

AEGYPTA } } liberti nomen, a regione, ut Cilix. **PRAEMISSVS** } captus a Caesare Corfinij, deinde ad Pompeium cum mandatis de pace missus. **NON est uisus** } Pompeius enim, alienus a pace, cum non remisit. **ET quemadmodum** } hoc ad uerbum, Expectas, refertur. **REDEVENTEM** } Brundisio, Pompeio Italia pulso. **ET aut Hemons** } de Attico dictum: quod proxima uerba ostendunt: sed locus deprauatus. **FVGAM** } transitionem in Epirum. ep. 1. lib. 9. **CVM fascibus** } erat enim proconsul. nam ei in fortitione consularium provinciarum Gallia obuenerat. **VT sciamus** } fortasse enim illius exemplum secuti aut dimittimus, aut retinebimus lictores. **CONVELLERUNT &c.** } effecerunt enim, ut Pompeium, mare transeuntem, sequi cogitarem, cum antea labarem. ep. 10. & 14. **IOVI ipsi iniquum** } iratum dijs hominibusq. Pompeium in Italiam rediturum. fam. ep. 28. lib. 10. Venit paratus Seruilius, Ioui ipsi iniquus. **CONSULES** } mare transeuntes, uide paullo infra. **NON caute** } si Pompeium sequar. **NON honeste** } si remansero in Italia. **UIDERIS non dubitare** } uide ep. 2. l. 9. **TRANSIERUNT** } consules enim primum, deinde paucis post diebus Pompeius transijt. **Caesar l. 1. de bello ci.** **APPVIM** } Ap. Claudium Pulchrum, censorem, collega L. Pisone, Caesaris socero: qui transeundi ius non habebant, neque enim censores cum imperio sunt, ut proconsules. **POMPEIUS** } Hispaniarum proconsul. **SCIPIO** } Pompeij socer, Syriae proconsul. **SETENAS** } Bellarionis liber, Seteonas. nos hunc ignoramus. **FANNIUS** } Siciliae cum imperio praefectus. ep. 15. l. 7. & 6. l. 11. **VOCONIUS** } quid si, Coponius? qui praetor Pompeium secutus est. ep. 12. **SEXTIVS** } is est, de quo infra ep. 7. l. 11. quem Plutarchus in Bruto Siciliam forte habuisse narrat. **NIHIL desero** } sic antiqui libri. **Difsero**, cum insequentibus uerbis conueniret, & placet, quia, **Difsero**, est in antiquo libro, ut parua omnino mutatione corrigatur. **PROREMEDIUM rectum** } non dicit, plane rectum: dubitat enim, ut ep. 12. **BIDVO** } lippitudine liberatus. **SI huc te reijcis**, } si hanc suscipis curam. **TALI tempore** } suspicaretur enim, pacis mentionem astute fieri, ut, spatio interposito, Caesar eum assequi posset. **CVM timere deserit**, } cum trans mare profectus in tutum locum se receperit. tum enim nullam fraudem in pacis condicionibus timere poterit. **MEVM** } uel quod uterque ex Cornelia gente: uel quod ab eo Balbus maxima beneficia acceperat: ut ep. 7. lib. 9. **UOLUISTI** } optasti, ut & Balbus meus mansionem in Italia persuaderet. ep. 9. **QUIDUIS potius esse**, } cum summam reip. curam ad Pompeium derulerit, ipse, nomine tantum consul, alteri pareat. **TIBI** } mansionem probanti. **NOBIS** } de Caesaris animo promittentibus. **RELATORE** } ad consules enim pertinet relatio de repub. **TOTVM** } praeclara sententia, nec satis aperta. non enim hoc solum est aduertendum, Domitium proconsulem populi Romae a Caesare obsessum; sed illud simul, nisi ita factum esset, magnam ciuium caedem fuisse futuram. si enim Caesar expectasset, ut Domitius suas xxx cohortes ad Pompeij legiones adiungeret: Pompeius, aucto exercitu, in aciem descendisset, quod malum Caesaris uigilantia uitauit. Domitium enim, de profectioe ad Pompeium cogitantem, oppressit: quo facto dimicationem sustulit. ep. XI. l. 8. **PROBATVRVM** } ostendam recte factum a Caesare. **Scio**, & } Bellarionis liber, Sciet. ego aut, Scio, &: aut, Scis, &: id est, profecto intelligis. **RES**, } quae ad sanguinem spectabat. **MEI** } filij. ep. ult. **DE Caesare** } de Caesaris animo ad concordiam propenso. **SCRIPSI** } ad te. **PROBABIT** } causas exponer eorum rerum, quas tibi & ipse dixit, & Caesar scripsit. **QUAECUMQUE** } siue pax erit, siue bellum. aut, siue secunda fortuna uretur, siue aduersa. **BELLISIME** } legerem, Verissime. nā in Bellarionis libro, **Velissum** me: ut in antiquo libro scriptum primo existimem, **Verissime**, ad ueteris orthographiae rationem: unde imperitis librarijs occasio mendii.

Cicero S. D. Attico. 16.

* **O** MNIA mihi prouisa sunt, praeter occultum, & tum iter ad mare superum. hoc enim mari uti non possumus hoc tempore anni. illuc autem, quo spectabat animus, & quo res uocat, qua ueniam? cedendum enim est celeriter; ne forte qua re impediatur, atque alliger. nec uero ille me ducit, qui uidetur: quem ego hominem ἀπολιτικάτατον omnium iam ante cognoram, nunc uero etiam ἀσρατηγικάτατον. non me igitur is ducit, sed sermo hominum, qui ad me a Philotimo scribitur. is enim me ab optimatibus ait conscindi. quibus optimatibus, dii boni? qui nunc quo modo occurrunt, quo modo autem se uenditant Caesari? municipia uero deum: nec simulant, ut cum de illo aegrotato nota faciebant, sed plane, quidquid mali hic Pissistratus non fecerit, tam gratum est, quam si alium facere prohibuerit. hunc pro pitium sperant: illum iratum putant. quas fieri censes

ἀπατήεις ex opidis? quos honores? metuunt, inquit, credo, sed hercule illum magis. huius insidiosa clementia delectantur: illius iracundiam formidant. iudicia DCCCL, qui praecipue Cnaeo nostro delectabantur, ex quibus quotidie aliquem uideo, nescio quas eius Lucerias horrent. itaque quaero, qui sint isti optimates, qui me exturbent, cum ipsi domi maneant. sed tamen, quicumque sunt, αἰδέσθαι τρώας. est, qua spe proficiscar, uideo: conijungo, me cum homine magis ad uastam Italiam, quam ad uincendum parato, domum quam exspecto. & quidem, cum haec scribebam xv. non iam exspectabam aliquid a Brundisio. quid autem aliquid? quam inde turpiter fugisset. & uictor hic qua se referret, & quo. quod ubi audissem; si ille Appia uentres, ego Arpinum cogitabam. Vale.

EXPLANATIO

O CCULTVM & tum iter? Bessarionis liber, Occultum meum iter, placet, Occultum & tutum iter, ut hoc unum se non prouidisse dicat, qui possit occulte & tuto ad mare Hadriaticum proficisci, cum tota Italia Caesaris armis praesidijsq. teneatur, epist. 3. l. 9. **ILLUC** autem, ad mare superum. Resq. necessitas; quoniam infero mari hoc tempore anni, id est hieme, uti non possumus, ep. 3. l. 9. **QUA** ueniam? & cum omnia Caesaris armis teneantur. **CEDENDVM** & discedendum. **ILLE** & Pompeius. **CONSCINDI** & ualde uituperari. **OCVRRUNT**? & Caesari Pompeium Italia pellenti, ep. 11. **DEVM** & ut deum Caesarem colunt, diuinis honoribus prosequuntur. **DE ILLO** & de Pompeio in Campania aegrotante ep. 5. l. 9. Plutarchus in Pompeio, & in Tusculana 1. his uerbis: Pompeio, cum grauitur aegrotaret Neapoli, melius est factum: coronati Neapolitani fuerunt, etiam Puteolani, uulgo ex opidis publice gratulabantur. **HIC Pissistratus** & Caesar, Pissistrato similis, uide ep. 19. l. 7. **GRATVM** est & quod ea non faciat, quae timebantur. **QUOS honores** & Caesari haberi. **IUDICES DCCCL** & iudices omnes: qui DCCCL. fuisse uidentur: CCC quidem senatorij ordinis fuerunt, ut ep. fam. ep. 7. l. 8. reliqui tum eques, tum tribuni acrij. ex tribus enim ordinibus indices legebantur, ut declarat Pedianus, CCCXX. quos Pompeius legerit, nominant Plutarchus, & Velleius. **DELECTANTVR** & ideo scripsit M. Coelius in quadam epistola: Video Pompeium senatum, quiq. res iudicant, secum habiturum. **LUCERIAS** & proseriptionem Luceriae denunciatae, ep. 11. **QUICVMQUE** sunt & quid ipsi faciant, non specto; ego, nisi faciam quod me dignum est, reprehensiones timeo, ut Hector apud Homerum, excamus igitur Italia. **DOMVM** quae exspecto & sic & antiqui libri. Domitium, alij legunt, mihi, Demum, placeret: ut in ἀπολιτικάτατον, & retineat, uel hominis causa, uel doloris, pulsus, aut captus. Quod sequitur, xv. nonas, Martias significat, ep. 6. l. 9. **QUO** & an ad urbem: quo se, cum Pompeium Brundisio pepulisset, contulit. **ARPINVM** & ut illius congressum uitem. Timebat scilicet, ne, rogante Caesare ut ad urbem rediret, uel negaret cum periculo, uel assentiretur cum dedecore, Pompeio, & cum eo consulis, multisq. contularibus ex urbe iam profectis.



IN · EPISTOLARVM
M · TVLLII · CICERONIS
A D
T · POMPONIVM · ATTICVM
LIBRVM · IX.
PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. 1.

HTSI, cum tu has litteras legeres, putabam fore, ut scirem iam, quid Brundisij actum esset; nam Canusio VIII. Kal. profectus erat Cnaeus; haec autem scribebam prid. non. XIV. die postquam ille Canusio mouerat: tamen angebar singularum horarum expectatione; mirabarque, nihil allatum esse ne rumoris quidem: nam erat mirum silentium. sed haec fortasse *νεοσπονδα* sunt: quae tamen iam sciuntur, necesse est. illud molestum, me adhuc inuestigare non posse, ubi Lentulus noster sit, ubi Domitius. quaero autem, quo facilius scire possim, quid acturi sint, ituri ne ad Pompeium, & si sint, qua, quando ueituri sint. urbem quidem iam refertam esse optimatum audio, Sositum, & Lupum, quos Cnaeus noster ante putabat Brundisium uenturos esse, quam se, ius dicere. hinc uero uulgo uadunt. etiam M. Lepidus, quo cum diem contere solebam, cras cogitabat. nos autem in Formiano morabamur, quo citius audiremus. deinde Arpinum uolebamus. inde, iter qua maxime *ἐν τῷ* esset, ad mare superum, remotis, siue omnino missis lictoribus. audio enim, bonis uiris, qui & nunc, &

saepe antea magno praesidio reip. fuerunt, hanc curationem nostram non probari, multaue in me, & seuerè in conuiujs tempestiuus quidem disputari. cedimus igitur; & ut boni cines simus, bellum Italiae terra, marique inferamus; & odia improborum rursum in nos, quae iam extincta erant, incendamus; & Luceij consilia, ac Theophrasti persequamur. nam Scipio uel in Syriam proficiscitur, sorte; uel cum genero, honeste; uel Caesarem fugit, iratum. Marcelli quidem, nisi gladium Caesaris immissent, manerent. Appius & eodem timore, & inimicitiarum recentium. & tamen, praeter hunc, & C. Cassium, reliqui legati, Faustus pro quaes. ego uenus, cui utrumuis licet. frater accederet; quem socium huius fortunae esse, non erat aequum; cui magis etiam Caesar irascetur: sed impetrare non possum, ut maneat. dabimus hoc Pompeio, quod debemus. nam me quidem alius nemo mouet; non sermo bonorum, qui nulli sunt; non causa, quae acta timide est, agetur improbe. uni uni hoc damus, nec id quidem roganti, nec suam causam, ut ait, agenti, sed publicam. Tu quid cogites de transendo in Epirum, scire sane uelim. Vale.